LOGICÆ PERIPATETICÆ PRÆCEPTA

ITA PERSPICVE ATQVE breviter Scholiis Exemplisq; illustrata: ut quivis latinè doctus ingenio & memoria capere possit: olim collecta

à

CASP. BARTHOLINO Malmogio Dano.

Nunc verò demum in usum juventutis edita.

Editio Nova.

ARNSTADIÆ,
Impensis JOHANNIS BIRCKNERI Bibliop. Erffurd. Jenens.
Anno MDC XLVI.

Prosapiæ antiquitate, Virtutis splendore
&
Literarum peritia
Nobilissimo Domino
GEORGIO-ERNESTO
WORM, Domino & Toparchæ
Dano in Woer, &c.

Fautori & amico colendissimo
S. P.

CASP. BARTHOLINUS
Doct. Philosophus &
Medicus.

PRÆFATIO.

DEsiderata sunt hactenus á multis *Generosissime* Dn. WORMI, Logicæ Peripateticæ Præcepta brevia, & breviter illustrata: quæ, omissis controversiarum confiugibus, juniorum caperentur ingenio & memoriâ. Me quidem jampridem defunctum hac re fuisse ex sententia abs me gestâ in Enchiridio meo Logico Argentinæ olim edito, vel ex Cæsaris Cremonini, viri celeberrimi arbitrio arbitrabar: qui scripto testari, illud omninò probari sibi, ac juventuti esse valde accommodatum, non dubitavit. At cujus viri arbitrio? incomparabilis illius & primarii hodie Philosophi Peripatetici Patavini, immò Europæi; soloque tempore, neutiquam verò erudi-

tionis acumine, antecessoribus suis Zabarellâ & Piccolomineo, posterioris. Alios tamen haut paucos audire contigit, pro doctioribus magis facere Enchiridion illud sentientes & censentes: quam junioribus, telam eam nondum exorsis. Ut ergo & his glacies, quod dicitur, scinderetur; suasere nonnulli, atque adeò persuasere. Regusto pluteos: exquiro & expromo inter adversaria inter rejectanea, Præcepta hæcce hinc inde dispersa: ceu Hippolyti membra recolligo, tanquam novus Æsculapius: ad ἐυταξίαν reduco: tandemque fluctuantis adhuc autoris manibus exprimit Typographus. Nec metus fuit; ne accideret mihi, quod Æsculapio, fulmen puta: malivolorum; non superum: Famæ; non vitæ infestum. Nam vel modo præsagio, quosdam puerilia talia labore meo indigna clamitaturos. Quos si morer morus ego. Publicæ hostes sunt utilitatis: quam aut exstinctam cuperent: aut facibus duntaxat suis

accen-

accenſam. Vincat bonum publicum; cui velificari certum mihi. Nec videor mihi profeciſſe; niſi per me alii. Ut lumen non accenditur niſi ut cuipiam luceat: Sic eruditio cujusvis merito utibilis eſſe debet. Spero fore hunc libellum ob uſum compendiarium incipientibus. Tum verò tibi, Nobiliſſime WORMI, ſacratum volo, quia modò nullum aliud occurrit mentis munus, quod pro meritorum tuorum in me copiâ teſtandæ gratiæ ſit. Immo &, quia optimè de eo judicare potes, qui à puero hanc aliasque diſciplinas in variis Daniæ, Germaniæ, Belgii & Galliæ oris egregiè edoctus es, viam prætereunte Præceptore tuo ſolertisſimo, Dn. Johanne Arnoldi de Fine Dano, artium & Philoſophiæ Magiſtro eximio, quippe cujus jamdudum in publico eſt Eruditio; amico meo non è Multis. Ideò eos, qui non niſi probè intelligentibus ſcripta ſua dedicabant, imitatus, tuo nomini hanc Logicam inſcriptam volui,

in discentium quidem commoda brevem; sed dum brevis esse laboravi, obscuritatem insimul declinare, & scirpum sine nodo, sine spina rosam facere conatus sum. Utinam auspicato! Voveo & tibi Generose WORMI, tuisque fausta omnia. Dabam Athenis Leucoreis. Anno 1611.

PRO-

PROOEMIVM
De
DEFINITIONE ET DIVISIONE LOGICÆ.

LOGICA est habitus intellectualis, instrumentalis, ad indagandam veritatem.

Dicitur ἀπὸ τοῦ λόγου *à ratione seu discursu à noto ad ignotum.* Dialectica *verò* ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, *hoc est, differere, disputare, cum alio colloqui de rebus quæ probabiliter in utramq; partem agitari possunt.* Logica *verò totam ratiocinandi vim denotat; nec tantùm de probabilibus, sed etiam de necessariis agit, ubi una tantùm pars vera est. Logica ergò se habet ut totum; quia & topicam, seu Dialecticam includit, & artem demonstrandi: Dialectica ut pars, quæ agit tantum de Topicis & probabilibus: Demonstrationem verò quæ necessaria argumenta adducit, excludit.*

Logica autem est habitus *non corporis, sed mentis ac* intellectus, *& quidem* instru-

mentalis, *hoc est, ad alios habitus & facultates intelligendas conducens. Sive enim Philosophiæ operari vis, sive Theologiæ, sive Medicinæ, &c. Logica opus est.*

Veritas, *quæ ubiq; venanda, Logicæ* usus *est seu* finis *externus. Opus verò seu* finis internus *principalis est* Syllogismus; *ad quem ferè omnia in Logica referuntur. Et quia de rebus omnibus ferè licet syllogismos construere; ideò* subjectum, *seu materia in qua operatur Logicus, est* omnis res *seu Ens omne; quatenus nimirum secundis notionibus substat: hoc est, quatenus hæc vel illa res prædicari vel subjici dicitur esse Genus vel species &c. atque it*[illegible] *syllogismum ordinari.*

Logica dividitur in partem communem & propriam. Communis seu generalis explicat ea quæ duntaxat Formæ syllogismi inserviunt. *Hoc est, docet syllogismum formare in legitima figura & modo &c. non habito materiæ vel rei respectu an sit vera vel falsa, necessaria vel probabilis, Mathematica vel Physica &c. Potest enim bonus syllogismus esse aliquis in forma; licet quoad materiam falsus sit. Quia verò syllogismus*

constat

constat ex Enunciationibus seu Propositionibus; hæ vero ex terminis vel vocibus simplicibus quæ in Prædicamentis habentur; ad prædicamentorum autem doctrinam intelligendam conducunt Prædicabilia, Ideo hæc omnia ante syllogismum tractari convenit.

Pars propria explicat quæ materiæ syllogismi inserviunt. *Materia hæc vel est simpliciter vera & necessaria, unde fit syllogismus demonstrativus: vel est contingenter vera seu probabilis; unde syllogismus fit Dialecticus seu topicus; vel est falsa; unde Sophisticus.*

PARS COMMUNIS.

CAPUT I.

De Prædicabilibus.

PRÆDICABILIA sunt notiones secundæ simplices, ostendentes quomodo primæ notiones de se invicem prædicari debent.

Prædicabile (*quod aliàs universale dicitur*) *nomen habet, quod possit prædicare.*

Prædicatum *autem est, quod actu jam prædicatur.*

Notiones *seu noemata idem sunt quod conceptus vel imaginationes rerum in animo.*

Notio *talis vel est prima vel secunda.* Prima est conceptus rei in animo immediatus, *ut cum animal vel hominem concipio mihi & imaginor. Hæ autem voces Animal, homo, herba, ruta, &c. dicuntur voces primæ notionis, vel primæ intentionis, &c.*

Notio secunda, est conceptus, qui mediante prima rem repræsentat; *fitq; dum intellectus noster res varias inter se comparat. Vt: quando concipio animal, est notio seu conceptus primus. Quando verò considero hominem esse animal, equum esse animal, &c. hoc est, quod animal de homine, equo prædicetur, voco animal Genus, seu generalius & communius quid, hominem verò, equum, &c. voco species. Atque ita hæ voces genus, species, & consimiles in Logica dicuntur, voces secundæ notionis vel*

secun-

secundi conceptus: quia non statim immediatè significant res ipsas.

Sint ergò secundæ notiones: Genus & species. Sint primæ: Animal & homo. Animal Genus, homo species. Ex generis jam & speciei natura scitur, quomodo animal & homo de se naturaliter prædicari debent. Nempe animal de homine prædicatur, hoc modo: Homo est animal, non è contra: Nam generaliora dicuntur seu prædicantur de specialioribus naturaliter.

PRÆDICABILIA sunt quinque Genus, Differentia, Species, Proprium & Accidens.

GENUS est notio secunda simplex, denotans rem specie superiorem, quæ prædicatur de pluribus specie differentibus in quæstione quid est. E.g.

Sit genus, Animal, quod est, res superior specie, nempe homine. Animal ergo dicitur seu prædicatur de pluribus specie differentibus, seu de pluribus speciebus, & quæ sub his continentur, ut de homine, equo, cane, &c. Dico enim: homo est animal, equus est animal, canis est animal, &c. Sic

herba dicitur de ruta, ſalvia, majorana, &c. in quæſtione quid eſt. Vt quid eſt ruta? Reſp. eſt herba. Quid eſt homo? Reſp. Eſt animal. Quamvis adhuc imperfecta hæc reſponſio.

Genus aliud eſt ſummum ſeu generaliſſimum; aliud medium ſeu ſubalternum.

Summum ſemper eſt Genus, quia aliud Genus ſupra ſe non habet: *ut ſubſtantia.*

Subalternum, eſt Genus reſpectu inferiorum; eſt ſpecies reſpectu *ſuperiorum. Vt animal reſpectu Hominis eſt Genus; reſpectu viventis eſt ſpecies. Sic de cæteris.*

Vt hæc & ſequentia faciliora fiant tyronibus, additur arbor Porphyriana Prædicamenti ſubſtantiæ.

A *d*
b Subſtantia *c* *Intelligentia*
Corporea a *Incorporea* *d*
b Corpus *c* *Corpus non vivens*
Animatum a *Inanimatum* *d*
b Vivens *c* *Planta*
Senſibile a *Inſenſibile* *d*
b Animal *c* *Brutum*

Rationale a *Irrationale*

Homo

β Petrus.Hic homo, filius Mariæ &c. γ.

A est Genus summum, a, species ima, a, Genera & species subalternæ b, c, differentiæ divisivæ generum A a, b, differ: constitutivæ specierum a a, c, differ: constitutivæ specierum d. βγ, basis vel radix, constans individuis, Ab A ad basin βγ, est longitudo vel linea recta prædicamentalis, sed a b ad d. est latitudo.

DIFFERENTIA in genere est, quâ aliquid ab alio distinguitur. Estque communis, propria, vel propriissima. Communis est, quâ aliquid differt ab alio vel à se ipso per accidens aliquod separabile. *Vt Petrus cum ebrius est, differt ab alio sobrio, vel à seipso antea sobrio.*

Propria fit per accidens aliquod difficulter vel non separabile. *Vt per cicatricem, simum nasum, &c. unus ab altero differt.*

Propriissima (*ut rationale*) est quæ generi, (*ut animali*) adjuncta speciem certam (*ut hominem*) constituit de qua prædi-

prædicatur in quæstione quale quid.

Hæc prædicabile constituit. E. g. Rationale est differentia propriissima hominis, qua differt homo ab omnibus aliis rebus, & prædicatur de homine in quid juncta generi, & in quali si intelligis qualitatem substantialem.

SPECIES (*ut homo*) est quæ de pluribus numero differentibus (*id est, Individuis*) in quæstione quid est prædicatur immediatè. *Ut: Quid est Petrus? Complete respondeo, Est homo. Ita homo de Petro vel alio individuo dicitur immediatè; at animal [Genus] mediante homine.*

Species vel est subalterna, quæ idem est quod genus subalternum: vel specialissima seu infima; quæ nunquam est Genus. *Hæc ante definita est; estq́ue species prædicabilis respectu inferiorum Individuorum; subjicibilis respectu superiorum generum.*

INDIVIDUUM est quod univoce de uno solo prædicatur. *Ideo prædicabile non est, quia non de pluribus dicitur. Quia verò basis est ordinis prædicamentalis; hic ejus tractatio instituitur.*

Indi-

Individuum est sextuplex.

1. Signatum vel determinatum, nomine proprio, *Vt: Petrus, Lypsia, Albis &c.*

2. Demonstrativum, est nomen Commune cũ Pronomine demonstrativo. *Vt hic homo, ille equus, hoc album, &c.*

3. Circumscriptum seu περιφραστικὸν ab officio vel alia re. *Vt Danica historiæ scriptor pro Saxone Germanico sumitur; quia hic in Danorum historicis præcipuus & antiquus est.*

4. Hypotheticum, vel ex suppositione. *Vt filius Mariæ pro Christo, quia præsupponitur, Mariæ unicum fuisse filium.*

5. Κατ' ἐξοχὴν certum aliquem communi voce notamus. *Vt Apostolus pro Paulo, Philosophus pro Aristotele.*

6. Vagum constat signo particulari & voce communi. *Vt: aliquis homo, vir quidam, &c.*

Proprium est, quod non declarat quiditatem rei; soli autem inest, & conversim de re prædicatur, in quali accidentaliter & necessario.

E. g. Risibile est proprium hominis, sed non

non de ejus essentia seu quiditate. Soli autem homini inest immediate; mediate etiam Individuis pluribus, Conversim de re prædicatur: Vt: homo est risibilis, & risibile est homo. In quali accidental. secus quam differentia. Et necessariò, secus quam Accidens, quod contingenter prædicatur.

Proprium est quadruplex. Primo modo, est quod accidit soli alicui speciei, sed non omnibus ejus Individuis. *Vt esse Logicum, competit soli homini, at non omnibus.*

Secundò modo Proprium est quod competit omni Individuo, sed non soli speciei. *Vt esse bipedem, competit omni homini, sed non soli.*

Tertio, soli speciei competit & omnibus ejus individuis, sed non semper. *Vt canescere, homini soli & omni convenit: sed tantùm in senectute.*

Quarto modo Propriissimum est, quod competit omni soli & semper, *anteaq; definitum est; quia hoc Prædicabile constituit.*

ACCIDENS est quod adest vel abest

abest absque subjecti interitu. *Vt albedo potest in pariete esse vel non esse, manente pariete. Sic doctrina in homine.* Estque vel separabile reipsa, *ut nigredo à pariete.* Vel inseparabile reipsa, *ut nigredo à corvo, qua tamen cogitatione à corvo separari & abstrahi potest, salva ejus manente substantia. In Islandia tamen multi reperiuntur corvi-uti & falcones albi.*

CAPUT. II.

De Antepradicamentis.

ET hæc præmittuntur Pradicamentis, pro eorundem intellectu faciliori; ideò finitur:

ANTEPRÆDICAMENTUM est præceptum utile ad meliorem prædicamentorum cognitionem.

Dividuntur in tres definitiones, Homonymorum, Synonymorum, Paronymorum: Duas divisiones; Nominum, quæ dicuntur, & Rerum, quæ sunt: atq; in tres regulas: Homogeneorum, Heterogeneorum & Subalternorum.

Ho-

Homonyma seu æquivoca dicuntur, quorum nomen solum est commune, & secundum nomen substantiæ ratio diversa.

Vt canis, est æquivoca vox; tribuitur cani, terrestri, marino, Cœlesti, secundum nomen solum: at substantiæ ratio; i.e. natura & definitio diversa est his canibus. Analogum medium est inter univocum & æquivocum: magisque de uno dicitur, quam de altero. *Vt ens de substantia magis principaliter dicitur, minus de accidente: Sic Ens de Deo & creaturis.*

Regula 1. Æquivoca semper sunt distinguenda, antequam vel definiri, vel dividi, vel in prædicamento reponi vel scientiam gignere, &c. possint.

2. Analogum per se positum stat pro significatione famosiori, *id est, pro eo quod primariò denotat.*

Synonyma seu Univoca dicuntur, quorum nomen est commune, & eadem substantiæ ratio. *Vt animalis & nomen & natum seu definitio communia sunt speciebus homini, equo, &c.*

Re-

Regula. Omnia illa quæ sunt ejusdem prædicamenti, prædicantur univocè, *Superiora nimirum de inferioribus.*

Paronyma seu Denominativa dicuntur quæ ab aliquo suo differentiæ casu secundum nomen habent appellationem. *Vt à Logica dicitur Logicus, ab albedine albus.*

Denominativum dicitur adjectivum vel concretum: *ut album.* Denominans abstractum: *ut albedo.* Denominatum subjectum aliquod: *ut paries.*

Regula. Denominativa sunt in eodem prædicamento cum denominante.

Cùm denominante & denominativo sæpè coincidunt Abstractum & Concretum.

Abstractum est quod simplicem significandi modum habet, *ut albedo.*

Concretum, compositum significandi modum habet. Estque vel accidentis *seu connotativum, item denominativum; ut album,* vel substantiæ, *Seu absolutum, ut homo animal: quorum abstracta sunt humanitas, animalitas.*

Prima divisio. Eorum quæ dicuntur

alia

alia ſecundum complexionem, alia ſine complexione dicuntur. Complexum eſt oratio ex pluribus vocibus, *ut homo albus; homo currit, &c.*

Incomplexum eſt vox una rem unam ſignificans ut homo, ſubſtantia, &c. *Et tale ad Categorias pertinet.*

Complexum (*uti & incomp.*) eſt triplex. 1. Re tantum, *ut nemo, hoc eſt, nullus homo.* 2. Voce tantum, *ut animal rationis particeps; id eſt, homo.* 3. Voce & re ſimul, *ut ſupra.*

II. *Diviſio eorum quæ ſunt.* Alia dicuntur de ſubjecto [*Logico*] & non inſunt *ſubjecto* (*Phyſico*) ut *genera & ſpecies, ſive* ſubſtantiæ univerſales. Singulares (*ſeu Individua*) nec inſunt nec dicuntur. Accidentia univerſalia & inſunt & dicuntur; Singularia inſunt & dicuntur. *Nota. Subſtantias propriè non dicimus ineſſe, ſed accidentia quæ ſubſtantiæ inſunt. Alias variis modis impropriis res dicuntur ineſſe, ut pars in toto; totum in partibus, &c. quod declarant verſus:*

Sunt genus & ſpecies, totum pars, fama locoq;

In

In fine, in caussa, subjecto, ten

Regulæ Antepradicament.

I. Quando unum de alter
tur; quæcunque de prædicato
etiam de subjecto dicuntur. I
homo. *Quidquid de prædicato, ne*
dicitur (ut animal, corpus, &c.) et
tione prædicatur.

II. Diversorum (*a*) gen
subalternatim positorum div
(*b*) specie (*c*) differentiæ.

(a) *i. e. prædicamentorum*; *v*
nerum diversorum, (b) *i. e. speci*
tiem (c) *divisivæ scilicet.* Exem
alias differentias divisivas habet
alias quantitas, &c.

III. Subalternorum verò
nihil prohibet easdem esse dif
scilicet Constitutivas, quia sup
de inferioribus prædi-
cantur.

CAPUT III.

De Categoriis seu Prædicamentis.

PRædicamentum est dispositio generum & specierum sub summo aliquo genere. *Exempli gratia, In prædicam. Substantiæ, summum Genus est substantia; sub hoc sunt genera & species, vivens corpus, animal, homo, totus hic ordo vel dispositio dicitur Prædicamentum.*

Prædicamen. sunt decem: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus. *Vltima novem accidentia sunt. Et ita rectè dividitur Ens in substantiam & Accidens.*

SUBSTANTIA est Ens reale, finitum, completum, per se subsistens. *Dicitur à substando vel subsistendo.* At Prædicamentum substantiæ est dispositio generum & specierum talium Entium realium, &c.

Estque prima vel secunda. Prima nec de subjecto dicitur, nec in subjecto ullo

ullo est. *Vt individua: Petrus, Paulus, &c. Non dicitur, quia non est universale; non inest, quia non est Accidens.* Secunda de subjecto aliquo dicitur. *Vt sunt species & genera.*

Affectiones & proprietates substantiæ sunt 6.

1. *Non est in subjecto, scilicet ut Accidens.*

2. Substantia secunda univocè prædicatur. *Competit etiam accidentibus in suis prædicamentis.* 3. Substantia prima significat hoc aliquid, id est, rem singularem & individuam, quæ digito monstrari potest. 4. Substantia non habet contrarium, *scilicet essentia sua ratione, & per se, ut substantia una non est alteri contraria. At ratione accidentis, nempe qualitatis, Exempli gratia, frigoris & caloris, dicitur esse contrarietas inter aquam & ignem. Deinde multa disparata vocant contraria; sed impropriè; ut lupum & ovem.* 5. Non suscipit magis & minus. *Intellige secundum latitudinem prædicamentalem ejusdem gradus, collatione diversorum; vel ejusdem.*

Caput III.

De Categoriis seu Prædicamentis.

PRædicamentum est dispositio generum & specierum sub summo aliquo genere. *Exempli gratia, In prædicam. Substantiæ, summum Genus est substantia; sub hoc sunt genera & species, vivens corpus, animal, homo, totus hic ordo vel dispositio dicitur Prædicamentum.*

Prædicamen. sunt decem: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus. *Vltima novem accidentia sunt. Et ita rectè dividitur Ens in substantiam & Accidens.*

Substantia est Ens reale, finitum, completum, per se subsistens. *Dicitur à substando vel subsistendo. At* Prædicamentum substantiæ est dispositio generum & specierum talium Entium realium, &c.

Estque prima vel secunda. Prima nec de subjecto dicitur, nec in subjecto ullo

ullo est. *Vt individua: Petrus, Paulus, &c. Non dicitur, quia non est universale; non inest, quia non est Accidens.* Secunda de subjecto aliquo dicitur. *Vt sunt species & genera.*

Affectiones & proprietates substantiæ sunt 6.

1. *Non est in subjecto, scilicet ut Accidens.*

2. Substantia secunda univocè prædicatur. *Competit etiam accidentibus in suis prædicamentis.* 3. Substantia prima significat hoc aliquid, id est, rem singularem & individuam, quæ digito monstrari potest. 4. Substantia non habet contrarium, *scilicet essentia sua ratione, & per se, ut substantia una non est alteri contraria. At ratione accidentis, nempe qualitatis, Exempli gratia, frigoris & caloris, dicitur esse contrarietas inter aquam & ignem. Deinde multa disparata vocant contraria; sed impropriè; ut lupum & ovem.* 5. Non suscipit magis & minus. *Intellige secundùm latitudinem prædicamentalem ejusdem gradus, collatione diversorum; vel ejusdem.*

dem secum. Vt: Paulus non est magis homo, quàm Petrus. Homo non est magis animal, quàm equus. Petrus senex non est magis vel minùs homo, quàm cum puer fuit, &c. At hoc album est magis album quam aliud. 6. Suscipere potest contrarium, cum eadem numero est. *Vt idem homo modò calidus esse potest, modò frigidus, successivè; non verò simul & semel in gradibus excellentibus.*

Quantitas est Ens reale, finitum, completum, habens partes extra partes, *Exclude unitatem, instans, punctum, &c. quæ incompletæ sunt, Entia nec habent partem extra partem; sed reducuntur ad hoc prædicamentum.*

Estque continua vel discreta. Continua est, cujus partes communi aliquo termino copulantur. *Vt: Linea, superficies, corpus, tempus, locus.* Discreta est cujus partes nullo termino communi copulantur; *ut Numerus & Oratio.* Linea copulatur punctis, *tanquam extremis vel terminis.* Superficies copulatur lineis. Corpus superficiebus. *Corpus hic non denotat substantiam corpoream, sed trinam dimen-*

mensionem, id est, extensionem secundùm longitudinem, latitudinim & crassitiem seu profunditatem. Superficies verò tantùm longitudinem & latitudinem habet, ut planities aliqua in mensa, convexitas in globis, &c. Linea tantum longitudinem possidet, De loco & tempore in Physicis docetur. Numerus est multitudo ex unitatibus collecta, *Unitas verò non est. Quantitas vel numerus; sed principium numeri.* Oratio est quantitas discreta, mensurans syllabas longas & breves. *Intelligitur ergo Oratio non oralis, non mentalis, non scripta, sed quatenus quanta est ob mensuram illam syllabarum longarum & brevium.*

Affectiones sunt tres.

I. Quantitas non habet contrarium. *Ut: Linea lineæ non est contraria, &c. Multa autem sunt relativa, non quanta, quæ videntur contraria, nec sunt: ut Magnum & parvum, multum & paucum, superius & inferius, &c.*

II. Non suscipit magis & minus; sed majus & minus. *Ut una linea non est magis quantitas quam alia, sed potest esse major.*

III. *Facere suum subjectum æquale vel inæquale. Hæc affectio solis quantitatibus competit.*

QUALITAS est secundùm quam quales quidam esse dicuntur. Ejus species 4. sunt: Habitus & dispositio; naturalis potentia & impotentia; patibilis & passio, forma & figura. *Conjunguntur duæ in una specie; quia differunt saltem modo accidentali, seu secundum perfectionem & imperfectionem.*

Habitus est qualitas diu permanens & difficulter mobilis: qua promptũ est ejus subjectũ ad facile exercendas actiones.

Habitus qui acquiritur, vel est Corporis, *ut saltatoria, digladiatoria*, vel Animi, & hic *dicitur esse* intellectus vel voluntatis: Voluntarij seu morales sunt virtutes, &c. Intellectuales vel sunt imperfecti, *ut opinio, suspicio, &c.* vel perfecti: qui aut principales, *ut scientia, intellectus primorum principiorum, sapientia, prudentia & ars*: aut Instrumentales *ut Grammatica, Rhetorica, Logica, &c. quæ instrumenta sunt ad discendas & tradendas alias disciplinas.* Dispo-

Dispositio est qualitas facilè mobilis à subjecto, & via ad habitum: quâ difficulter adhuc actiones obeuntur.

At si frequens accedat exercitium, fiet inde habitus. Ut qui jam modò Logicam didicit, dispositionem habet, sed cum tempore habitus inde fieri potest, si se exerceat.

Naturalis potentia est Qualitas à natura ingenita; qua subjectum aptum est ad aliquid agendum, resistendum, vel patiendum.

Impotentia econtra, ineptum ad hæc facit subjectum: *ut Butyrum ineptum est ad resistendum, ob mollitiem.*

Potentia naturalis vel est Corporis vel animę. Corporis vel manifesta, *ut ferri durities*; vel occulta: *ut vis Cœlestium corporum, magnetis, herbarum multarum, &c.* Potentia animæ est vel vegetantis, *ut altrix, auctrix, &c. (uti docetur in physicis)* vel sentientis, *ut sensus interni & externi*; vel ratiocinantis; *ut intellectus & voluntas, & quæ hinc pullulant, vis ridendi, plorandi, &c.*

Patibilis est qualitas diu permanēs in subjecto, *ut pallor naturalis, vel ex morbo, &c.*

Passio est qualitas brevi transiens: *ut pallor ex ira metu. Sic rubedo verecundantis, vel currentis, &c.*

Forma est quæ resultat ex terminatione quantitatis in re naturali & vivente: Figura in re inanimata & quasi Mathematica.

Formam viventis; picti dic esse Figuram: Forma consistit in superficiali lineatione & figuratione viventium. Figura consistit circa rem quamq; inanimatam extrinsecus prout extremitates linearum vel superficierum hoc & illo modo sunt disposita.

Affectiones qualitatis sunt 3. I. Contrarietas. II. Suscipere magis & minus. III. Facere subjectum simile & dissimile.

Relata dicuntur quorum totum esse est respectus ad aliud *Exempli gratia, sint duo relata, quæ alias correlativa dicuntur, item termini, &c. Pater & filius: totum esse vel essentia patris, qua pater, consistit in respectu ad filium, pater enim non esset absq; filio. Sic econtra totum esse filij consistit in relatione seu respectu ad patrem.* Sicut autem duo sunt relata, pater & filius; sic duo

duo sunt horum subjecta, *Exempli gratia Adam & Abel.*

Relata alia sunt secundum esse, & verè relativa, *de quibus modo dictum* Alia secundum dici, quæ primariò sunt in alio prædicamento aliquo. *Ut: amor scientia, &c. sunt in prædicam. Qualitatis primariò; secundariò dicuntur esse in prædicamento Relationis quia amor respicit rem amatam tanquam correlatum; scientia respicit scibile seu id quod sciri potest.*

Deinde alia Relata sunt realia, alia rationis. Realia re distincta sunt, *ut Dominus & Servus, Sponsus & Sponsa, &c. Relata* rationis *seu intentionalia*, dependent à sola ratione seu intellectus operatione, *ut Genus & species, dextrum & sinistrum.*

Affectiones sunt quinq;.

1. Contrarietas, *verùm non in omnibus relatis: Sed ubi Qualitas aliqua subest, ob quam evenit omnis contrarietas. Ut Petrus est similis Paulo; nempe in virtute vel vitio, &c.*

2. Suscipere magis vel minus. *Etiam ubi subest Qualitas. Ut unus est magis vel mi-*

ens similis alteri. 3. Dici ad convertentiam, *id est*, *Relata reciprocantur*, *ut Praeceptor est discipuli praeceptor*; *& discipulus est praeceptoris discipulus. Si deest vox aliqua conveniens; fingatur. Ut clavia est clavati clavus, & vicissim. Non dico: clavus est navis clavus: quia non omnes naves habent clavum.*

4. Esse simul naturâ, *sic Adamus non est prior Abele, quatenus pater est, sed quatenus homo. Hoc est, pater non est prior filio; sed subjectum patris est prius subjecto filij.*

5. Per se mutuo cognosci & definiri. *Ut qui novit definitionem patris, novit etiam filij.*

ACTIO VEL PASSIO est secundum quam denominamur agere vel pati.

Estque alia immanens, vel animae; *seu manens in agente, ut nutritio, auditio, visio, &c.* alia transiens seu corporis, *ut calefactio, & hoc potissimum in hoc praedicamento spectatur.*

Affectiones, 1. Habere contrarium, *scil. ratione tantùm Qualitatum concomitantium.*

um. *Ut calefacere, propter calorem, qui frigus contrarium habet.* 2. Suscipere magis & minus, *id est, intendi & remitti* 3 Se invicem comitari. *Ubi actio, ibi passio, & econtra.*

QUANDO est quod ex adjacentia temporis relinquitur, *id est: Significat existentiam rei in tempore; quæ dicitur esse, fuisse vel futura.* *Huc pertinent; hodie, hodiernus, heri, hesternus, &c.*

UBI est circumscriptio corporis locati, à loci circumscriptione proveniens, *id est, Est habitudo rei in loco.* *Huc pertinent: in mari; marinus, in agro, agrestis, &c.*

Affectiones.

1. Non suscipere contrarium *nisi forte ratione qualitatis: Ut si quis fuerit lætus vel tristis in illo loco vel tempore.*

2. Non suscipere magis & minus. *Nam una res non est magis vel minus in loco vel tempore quàm alia.*

SITUS est positio partium corporis ad locum ordinatarum. Estque triplex. 1. Naturalis, vel per se in partibus; *ut caput sursum, pedes deorsum,* vel per accidens in

modo, *ut accubatio, statio, sessio, &c.* 2. Non naturalis, *ut caput deorsum, pedes sursum.* 3. Artificialis: *ut tectum sursum, fundamentum deorsum.*

Proprietates sequuntur substantiam & Quantitatem.

HABITUS est adjacentia corporis, & eorum, quæ circa corpus sunt. Estque vel naturalis, *ut hominem esse barbatum, cœlum stellatum, &c.* vel artificialis *quicunque, ut esse calceatum, loricatum, annulatum, &c.*

Affectiones sunt: 1. Non suscipere contrarium. 2. Suscipere magis & minus, *sed impropriè.*

CAPUT IV.

De Postprædicamentis.

POSTPRÆDICAMENTUM est explicatio terminorum quorundam in prædicamentis propositorum, *præsertim in proprietatibus, ubi injecta fuit mentio contrarietatis, simul, &c.*

Post-

Postprædicamenta 5. sunt: Opposita, Prius, Simul, Motus, Habere.

OPPOSITA sunt, quæ in eodem numero subjecto, secundum idem (*i. e. easdem partes*) in eodem tempore, circa unam eandemq; rem esse simul non possunt. *Patebit hoc in speciebus postea omnibus.*

Vera autem oppositio est tantùm inter duo. *At disparatorum unum opponitur multis. Ut homo arbori, ligno, lapidi, &c.*

Opposita *sunt Relativa, contraria, privativa & contradictoria.*

Relativa oppositio est inter relata, *ut inter patrem & filium. Dicuntur opposita; quia unum è subjecto alterum expellit, respectu ejusdem. Ut pater, quatenus pater, filius non est.*

Contraria sunt quæ sub eodem genere maximè distant, eidemque subjecto susceptibili, à quo mutuo se expellunt, vicissim insunt, nisi alterum insit à natura.

Ut albedo & nigredo contraria sunt, maximè distant sub eodem genere, nempe colo-

18. Horum subjectum susceptibile esse potest paries; à quo mutuo se expellunt; nam dum paries albus est, niger esse nequit; vicißim tamen insunt, hoc est, modo albus modo niger esse potest paries. At cygnus non nisi albus esse potest; quia ei à natura inest unum contrarium nimirum albedo.

Contraria alia sunt mediata, alia Immediata. Mediata, quæ medium habent. *Ut inter album & nigrum sunt medij colores. Sic inter bonum & malum, est medium, quod dicitur neq; bonum, neq; malum, cum nomine careat.* Immediata sunt quorum alterum semper necessariò inest subjecto susceptibili. *Ut par & impar in numero. Sic inter ægrum & sanum non datur medium accuratè loquendo.*

Privativa sunt, quorum unum dicit negationem alterius in subjecto apto nato recipiendi illud in tempore à natura definito, in certâ subjecti parte, ordine irregressibili.

Exempli gratia, *Privativa sunt cæcitas & visus. Ubi unum adest, alterum abest in subjecto apto nato; nam lapis non rectè dicitur cæcus;*

cæcus, cum habilis aut aptus non sit ad recipiendum visum. Deinde tempus requiritur à natura definitium. Ut catulus ante nonum diem non rectè dicitur cæcus. Certa pars etiam requiritur: non enim cæcus quis dicitur à manibus vel pedibus; sed ab oculis. Tandem ordo irregreßibilis, excludit eam privationem, quæ tantùm tollit actum; & relinquit potentiam redeundi. Ut datur regressus à somno ad vigilias. At à vera privatione non datur regressus ad habitum naturaliter, *ut à cæcitate ad visum &c.*

Contradicentia sunt, quorum cum nullum sit medium, unum est simplex negatio alterius in omni subjecto. *Ut homo, non homo; lapis, non lapis. Nam dicere licet: Quicquid est, homo est vel non homo, lapis vel non lapis, &c.*

PRIUS quot modis dicatur, hoc versu scitur.

Tempore, naturâ prius, ordine, dic & honore,

Caussam caussato dicimus esse prius.

Et tot modis dicitur etiam posterius.

SIMUL. Tempore dico simul, quorũ generatio nunc est (*ut gemini, &c.*

Quæ cövertuntur, dicimus esse simul. (ut relata,) Sunt simul & species, genus unum condividentes. *Adde simul* loco, dignitate, cognitione.

De Motu *vide Physicam.*

Habere per omnia prædicamenta vagatur. *Dicimur enim habere habitum vel dispositionem, quantitatem, vestimenta, rem possessam, partes, uxorem, &c. Unde versus de modis habere. Affectum, quantum vestitum, dic vel ut aurum, Membrum, contentum, possessio, vir, mulierem.*

Caput V.

De Interpretatione.

Interpretatio est vox articulata ex humano arbitrio facta, & certæ alicujus rei significatrix.

Vel: Est vox humana aliquid significans. Estque alia simplex alia composita.

Simplex est unum aliquod vocabulũ per quod interpretamur; & absolvitur Nomine & verbo, *non ut in Grammatica: signi-*

significant. *Nam hic in Logicis sunt Enunciationis principia, quæ quando respectum habent ad propositionem actu existentem, dicuntur subjectum & prædicatum: Ut Homo currit. Hic nomen & verbum adsunt. At cum dico Enunciative: Homo currit, Subjectum & prædicatum dicuntur.*

Nomen est vox finita & recta, significans ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separatim, quæque adjuncta particulæ EST aut NON EST, efficit orationem verum aut falsum significantem.

E. g. *Homo, est vox finita; non homo est infinitum nomen, quale hic excluditur. Est etiam homo vox recta seu nominativi casus; & exterminantur hic casus nominum obliqui. Significat ex instituto, hoc est, placito vel arbitrio humano, ut relegentur animalium soni: hinnitus, latratus, &c. Sine tempore, id est;* nomina quædam significant quidem tempus; *ut annus, hora dies, &c.* Sed non consignificant; *ut verba. In hac etiam voce, homo nulla pars, nempe ho aut mo significat separatim; Et si quandoq; contingat, ut Domus;*

mus; *Designificat aliquid, & mus*: *attamen non in illa voce sed extra.* *Deinde excluditur Oratio*; *cujus partes significant separatim. Præterea Nomen ut homo, cum adjunctam habet particulam.* Est *aut* non est, *efficit Orationem, quæ verum aut falsum significat. Ut Homo est animal. Homo non est animal.* Aliud *autem* dicitur Est secundi adjacentis; *ut Dæmum est, id est, existit.* Aliud tertij adjacentis, & dicitur copula, *ut Homo est animal.*

Verbum est vox consignificans tempus (*ut currit*) cujus nulla pars significat separatim, & semper eorum que de alio prædicantur est nota, *i. e. semper obtinet locum prædicati. Ut: Homo currit: Hic homo est nomen vel subjectum*; *Currit est verbum & prædicatum. Sic cum dico: Homo est animal: Animal est verbum & prædicatum, sed additu copulâ est.* *Notandum ut supra nomina infinita dicebantur non homo, non lapis, &c. Sic verba dantur infinita, cum præponitur particula* Non.

Caput

CAPUT VI.

De Interpretatione composita; & de Enunciatione.

INterpretatio composita seu ORATIO est vox significans, cujus singulæ partes significant separatim, ut dictio, non ut affirmatio aut negatio.

Ut homo studet. Singulæ partes; homo & studet, significant aliquid tanquam dictiones, sed seorsim nihil affirmant aut negant.

Estque vel imperfecta, cum tota sententia non absolvitur; *ut: si probus fueris.* Vel perfecta, & hæc vel Enunciativa est, vel non. Non Enunciativa, veri & falsi experta est, *ut: Quid cupis?* Tales sunt orationes interrogativæ, optativæ, vocativæ, imperativæ, &c.

Enunciativa seu ENUNCIATIO est Oratio perfecta verum aut falsum significans. *Ut homo est animal.* Dicitur alias, *quando in syllogismo est;* Propositio. *Nonnullis imperite dicitur.* Axioma, *non enim omnis Enunciatio est fide digna seu axioma.*

Recti-

Rectiùs Latinis aliis, Eloquium, Proloquium, Effatum, Enunciatum,&c.
Enunciatio verò dividitur variè:

1. Alia vera est alia falsa. Vera cum re, quam affirmat vel negat, consentit; Falsa dissentit, *ut vera sunt: Homo est animal, homo non est lapis. Falsa: Homo non est animal: Homo est lapis.*

2. Alia absoluta seu de inesse, alia modalis. Modalis est cum additur aliquis horum modorum, Necesse, impossibile, possibile, contingens: *Ut: Necesse est hominem esse animal. Impossibile est hominem esse lapidem. Possibile est nullum hominem esse doctum. Contingens est hominem esse doctum,&c.* Absoluta est, cum talis nullus additur modus.

3. Alia necessaria, quæ nunquam esse potest falsa. *Ut homo est animal, homo est visibilis, &c.* Alia contingens, quæ falsa aliquando fuit, vel esse potuit. *Ut: Papa sedet Romæ.*

4. Est finita vel infinita. Finita & subjectum habet & prædicatum finitum. *Ut Homo est doctus, id est, ubi nec subjecto nec*

præ

prædicato præponitur particula non. Infinita *econtra* est, cujus vel subjectum, vel prædicatum, vel utrumque est terminus infinitus. *Ut: Quoddam non animal est corpus. Quidam homo est non doctus. Omne non animal est non homo.*

5. Est essentialis, vel accidentalis. Essentialis est cum prædicatum est primi, secundi, vel tertij prædicabilis, *id est, est de natura subjecti. Ut Petrus est homo, homo est animal, homo est rationalis.* Accidentalis, cum non sit de natura subjecti prædicatum, est quarti vel quinti prædicabilis. *Ut homo est risibilis, homo est albus.*

6. Alia est naturalis, alia contra naturam, alia præter naturam.

Naturalis, directa & ordinata, est in quâ subjicitur, quod reverâ subjici debet, *ut sunt, essentialis & accidentalis, modo dictæ.*

Contra naturam & indirecta, est cum prædicatur illud quod subjici debet & è contra. *Ut si inferiora prædicantur de superioribus, Exempli gratia, animal est homo; vel subjectum de accidente, ut: Album est homo;* Præ-

Præternaturalis & per accidens, est cum duo accidentia concreta de se invicem prædicantur, quorum utrumque alicujus tertij est subjecti. *Ut album est dulce. Insunt hæc duo tertio subjecto, nempe lacti saccarove.*

7. Alia propria, alia figurata, alia inusitata. Propria est cum prædicatum dicitur de subjecto per modum aliquem 5. prædicabilium, Impropria vel figurata est, cum res duæ disparatæ de se dicuntur invicem per tropum aliquem. *Ut Herodes est vulpes, i. e. similis vulpi in astutiâ. Et hæc est accidentalis prædicatio. Nam idem est ac si diceretur: Herodes est astutus.* Inusitata, est ubi modus prædicandi inusitatus est, licet voces propriam suam significationem retinent, *Ut Deus est homo. Deus est mortuus, &c.*

8. Alia est simplex seû Categorica, alia conjuncta seu hypothetica.

Categorica, est cum unum de uno dicitur: *ut homo est animal.*

Composita vel hypothetica est quæ constituitur ex simplicibus Enunciationibus

nibus per conjunctionem aliquam, aliamve copulationem. *Dicitur hypothetica, quia una ejus est species præstantior, quæ hypothetica.*

Est autem hæc compositio vel relationis vel conjunctionis: Relationis seu comparationis est I. ob quantitatem. *Ut: tantò est dignior, quantò sapientior.* II. ob qualitatem: *ut, qualis herus, talis servus.* III. ob tempus: *ut quando sol lucet, dies est.* IV. ob locum. *ut: Ubi sol lucet, ibi dies est.* V. ob proportionem. *E.g Ut se habent 2. ad 4. Sic 3. ad 6.* VI. ob caussam. *Ut quia sol lucet, dies est.*

Conjunctio est in Enunciationibus conditionalibus, copulativis & disjunctivis.

Conditionalis vel hypothetica in specie dicta constat conditionali conjunctione SI vel NISI. *Ut: Si credis, salvaberis. Nisi timueris Deum, damnaberis. Talis composita Enunciatio vera esse potest, licet simplices ejus Enunciationes (aut alterutra) sint falsæ. Ut: simplices Enunciationes falsæ sunt: Asinus volat,* Et: *Asinus habet pennas.*

sed

sed per hypothesin conjunctis, ut una fiat, vera est composita hæc: si asinus volat, habet pennas. Hinc,

Regula. Conditionales nihil ponunt, *id est, nil certi affirmant vel negant, sed prout rerum est cohærentia.*

Copulativa est quæ constat conjunctione copulativâ ET. *Ut*: *Credidit, & salvatus est.* Huc refertur adversativa habens conjunctionem SED, &c. *ut*: *Lucratur; sed non ditescit.*

Regula. In Copulativis, utraque pars debet esse vera. *Nam, sunt duæ distinctæ Enunciationes.*

Disjunctiva compositio constat Enunciationibus disjunctivis. *Ut: aut æger est, aut sanus. Aut dies est, aut nox.*

Regula. Disjunctiva sit talis, ut una pars tantum vera sit.

Regula de omnibus compositis Enunciationibus. Negativa Composita fit ex affirmante, si negans præponatur particula, NON. *Ut*: *Non si dives est sapiens est, &c.*

9. Enunciatio alia est affirmativa. *Ut mus est animal.* Alia negativa, *ut mus non est lapis.* 10.

10. Vel est Universalis, particularis, indefinita vel singularis.

Universalis subjectum habet cum signo Universali aliquo. *Ut omnis homo est creatura. Nullus homo est increatus. Universalia signa sunt: omnis, quilibet, quicunq;, nullus, nemo, semper, &c.*

Particularis subjectum habet cum signo particulari, *ut quidam homo est Logicus. Signa particularia sunt: quidem, aliquis, non omnis, quidam non, aliquando, ut plurimum, &c.*

Indefinita subjectum habet absque signo, *ut homo est doctus. Materia tamen indicat, quale signum intelligi debeat aut addi. Ut quia doctrina non inest omni homini, dico. Quidam homo est doctus.*

Singularis est in qua subjectum est Individuum aliquod, vel res singularis. *Ut Plato est doctus.*

Ex tribus præcedentibus divisionibus, octavá, noná & decimá, respondendum ad Quæstionem de Enunciationibus, Quæ qualis quanta. *Quæ, quærit an Enunciatio sit simplex seu Categorica, an verò composita.*

Qualis,

Qualis, quærit an affirmans sit, vel negans. Quanta, an sit Universalis, particularis, indefinita, vel singularis. Ut: Quidam homo est dives: Quæ, qualis, quanta? Respondeo ad 1. Est Categorica, ad 2. Est affirmans, ad 3. Est particularis.

CAPUT VII.

De Affectionibus Enunciationum simplicium.

AFfectiones sunt 4. Consecutio, Cōversio, Oppositio, & Æquipollentia. CONSECUTIO est, quando una propositio ex alia consequitur. *Ut ad affirmativam finitam (E. g. Omnis homo est justus) sequitur negans infinita, & econtr. (nullus homo est non justus) & ad affirmationem infinitam (omnis homo est non justus) negatio finita (nullus homo est justus) & econtra.*

CONVERSIO est mutatio terminorum Enunciationis, servata qualitate & veritate.

Mutatio terminorum est ut ex subje-

cto fiat prædicatum,& viciſſim. Servare qualitatem, eſt facere Enunciationem affirmantem ex affirmante,& negantem ex negante. Servare quantitatem eſt facere ex univerſali univerſalem, ex particulari particularem.

Converſio eſt ſimplex, per accidens, vel cotrapoſitionem.

Simplex eſt, in quâ ſervata etiam quãtitate convertuntur particularis affirmativa & univerſ. neg. *Ut: Quædam herba eſt ſalubris: Converte & fit; Quoddam ſalubre eſt herba. Sic: Nullum Calidum eſt frigidum, & Nullum frigidum eſt calidum.*

Per accidens eſt in qua non ſervatâ qualitate, convertuntur Univerſalis affirmans & negans. *Ut Omnis homo eſt animal. Converte per ac & fit: Quoddam animal eſt homo. Sic Nullus homo eſt lapis. Et quidam lapis non eſt homo.*

Per contrapoſitionem, eſt in qua ſervata etiam quantitate cõvertuntur univerſ. affir. & part. neg. ita ut ex terminis finitis fiant infiniti. *Ut, Omnis homo eſt*

animal

animal. *Converte per contrapos.* *Omne non animal est non homo* *Quidam homo non est pius.* *Quoddam non pium non est non homo.*

Quomodo quævis Enunciatio converti debeat, memoriæ caussa monstrat versus.

FECI simpliciter convertitur, ANTE per acci:

FALCO per contra. Sic fit conversio tota.

In his dictionibus, FECI, ANTE, FALCO, *intelligantur vocales*, A E I O. *Quarum* Asserit A, negat E, sed universaliter ambæ; Asserit I, negat O, sed particulariter ambæ, id est, A significat universalem affirmantem, E. Univers. negantem, I Particularem affirm. O. Particularem negantem.

OPPOSITIO est inter duas Enunciationes idem & prædicatum & subjectum habentes, quarum una affirmat, altera negat.

Debet autem oppositio esse ejusdem de eodem, ad idem, secundum idem, eodem modo & tempore. *Ut cum dico: Homo est risibilis; Canis non est risibilis.* *Non est*

vera

vera oppositio, qvia non est ejusdem de Eodem. Una enim Enunciatio de homine dicitur, altera de cane. Sic de reliqvis.

Estqve contraria, subcontraria, vel contradictoria.

Contraria est duarum Enunciationum Universalium. *Ut: Omnis homo est doctus: Nullus homo est doctus.*

Regula. Contrariæ Enunciationes non possunt simul esse veræ; sed in materiâ contingenti sunt simul falsæ, *Ut in dato exemplo.*

Subcontraria est duarum Enunciationum particularium. *Ut: Qvidam homo est doctus, Qvidam homo non est doctus.*

Regula. Subcontrariæ non possunt simul esse falsæ: Sed in materia contingenti simul veræ, *ut in dato exemplo.*

Contradictoria est 1. inter Universalem affirmativam & particularem negativam. *Ut: Omnis homo est animal. Qvidam homo non est animal.* 2. Inter duas singulares, *ut: Petrus scribit: Petrus non scribit.*

Regula. Contradicentium necessariò una est vera, altera falsa. *Si nimirum lo-*

qvuntur de tempore præsente aut præterito. Nam omne qvod est, qvando est, necesse est esse. At de futuris contingentibus non est determinata veritas aut falsitas, *respectu hominum.*

Hic agunt alii de subalternis Enunciationibus, qvæ tamen non sunt opposita.

Nam

Subalternæ Enunciationes sunt ejusdem Qvalitatis, non qvantitatis, qvarum una est universalis & subalternans, altera particularis & subalternata. *Ut omnis homo est animal. Hujus subalternata est, Qvidam homo est animal. Sic: Nullus canis est eqvus. Et: Qvidam canis non est eqvus.*

Regula. Ex veriate subalternantis colligitur veritas subalternatæ; & ex hujus falsitate, illius etiam falsitas colligitur.

Æqvipollentia est revocatio duarum Enunciationum ad eandem valorem.

Fit hoc per negationem signi, qvo subjectum est affectum, vel præpositam, ut in contradicentibus, vel postpositam, ut, in contrariis, aut simul præpositam & postpositam, ut in subalternis. *De his versus est.*

Præ

Præ contradic. post contra, præ postqve subalter. *Ut contradictoria sunt : Omnis homo est doctus, & Qvidam homo non est doctus. Præpone alterutri negationem, seu particulam NON, & eadem erit cum alterâ qvoad valorem ut : NON omnis homo est doctus eadem est cum hac : Qvidam homo non est doctus. Sic : NON qvidam homo non est doctus, aeqvipollet huic : Omnis homo est doctus. In aliis exemplis se jam juventus exerceat, aut qværat in Enchiridio nostro Logico : qvemadmodum & alia uberiora.*

Caput VIII.

De Syllogismo in genere.

PErgimus *jam ad instrumentum tertiæ operationis intellectus.* Est *a.* operatio intellectus, *seu mentis actio,* vel prima, vel secunda, vel tertia. Prima, qva rem aliqvam cognoscimus; *ut homo, animal, &c. ideò* dicitur simplicium apprehensio. *Pertinens ad ea qvæ dicta sunt de prædicabilibus & prædicamentis.* Secunda dicitur

compoſitio & diviſio; qvia hac judicamus rem unam cum alio convenire & de eo dici poſſe; vel ab eaſe jungi debere. *Ut qvando concipio hominem & animal; intelligo hæc duo invicem componi & conjungi poſſe, ut dicatur; Homo eſt animal. Item concipiendo hominem, & lapidem, intelligo hæc duo à ſe invicem dividi ſeu disjungi debere, ut oriatur Enunciatio. Homo non eſt lapis. Et hæc operatio intellectus ſpectat ad ea, qvæ hactenus de Enunciationibus dicta ſunt.* Tertia mentis operatio ratiocinatio dicta ulteriùs progreditur & ſyllogiſmum reſpicit: qvo ignotum ex aliis notioribus elicimus. *Et jam de Syllogiſmo agemus.*

SYLLOGISMUS eſt ratio, in qva qvibusdam poſitis, aliud qviddam ab iis qvæ poſita ſunt, neceſſario infertur, eo qvod hæc ſunt.

Dicitur ἀπὸ τοῦ συλλογίζεσθαι, id eſt, ratione ſubducere, & colligere. Dicitur ratio, id eſt, hoc in loco ratiocinatio, Argumentatio vel diſcurſus à noto ad ignotum: in qva qvibusdam, id eſt, 2. Enunciationibus, ſecus qvam in Enthymemate, poſitis, aliud qviddam,

dam, id est, conclusio actu infertur necessitate forma seu concludendi, eò qvòd hac sunt, id est, qvia conclusio actu posita, potentia erat antea in præmissa. Nam qvoad terminos & materiam, non debet esse aliud in conclusione qvam fuit in præmissis, sed alia dispositio terminorum esse debet.

Rejiciuntur *ergo ab hac definitione* alia consеqventiarum genera. Sunt *autem* hæc in universum 4. 1. Argumentationis, *qvod genus hic recipitur.* 2. Conversionis. *Ut omnis homo est animal, ergo qvoddam animal est homo.* 3. Subalternationis. *Ut : Omnis homo est animal, Ergo qvidam homo est animal.* 4. Æqvipollentiæ. *Ut : Omnis homo est animal, Ergo non qvidam homo non est animal.* Tria ultima genera *inqvam*, rejiciuntur.

Conseqventia autem alia est bona, alia vitiosa. Bona; cum aliqvid est aliqvo verè colligitur. *Ut Petrus est homo, Ergo est animal.* Vitiosa econtra. *Ut homo est, Ergo salvabitur.*

Syllogismus variè dividitur. 1. Alius est perfectus alius imperfectus. Perfectus

 hoc

hoc loco dicitur, qvi adeò evidenter ratione formæ concludit, ut nulla re indigeat ad conciliandam majorem evidentiam. Tales sunt syllogismi omnes primæ figuræ.

Imperfectus dicitur è contr. ratione apparentiæ, non terminorum, ut sunt syllogismi in secunda & 3. figura, *qvi reducuntur ad primam figuram, qvippe in qvâ sunt omnis generis conclusiones: At in secundâ tantùm negantes; in tertia tantùm particulares.*

2. Alius directus, in qvo major terminus de minori concluditur: alius indirectus; in qvo minor de majori. ***Hæc ex seqventibus melius intelliguntur.***

3. Alius communis, constans terminis communibus: alius expositiorius, habens terminos singulares seu individua.

4. Alius finitus constans terminis finitis: alius infinitus, constans infinitis.

5. Ratione qvantitatis, alius est Universalis, habens conclusionem universalem: alius particularis, habens particul. conclus.

6. Ra-

6. Ratione qvalitatis, vel est affirmativus, habens conclusionem affirmativam; vel negativus, qvi habet negat. conclus.

7. Ratione præmissarum, alius est simplex seu Categoricus, constans Enunciationibus simplicibus: alius est compositus seu hypotheticus, *de qvo infra*.

8. Alius absolutus, constans Enunciationibus absolutis; *i. e. ubi non adduntur hi modi: necesse, possibile, impossibile & Contingens*. Alius modalis, ubi *hi* modi *dicti* adsunt.

9. Alius formalis tantum; alius materialis tantum, alius form. & mat. simul.

Formalis tantum vi formæ concludit, *de qva forma in hac communi parte Logicæ agitur non habito respectu materiæ, an bona sit vel mala. Potest enim syllogismus aliqvis bonus esse respectu formæ; id est, ut sit in legitimo modo & figura dispositus, etiam si ubiq; materia sit falsissima. Ita hic syllogismus vi formæ tantum concludit: Omnis lapis est homo, Omnis eqvus est lapis. Ergo omnis eqvus est homo.*

Materialis vi solius materiæ concludit.

Ut: Nullus homo est lapis. Nulla arbor est homo. Ergo nulla arbor est lapis. Hic omnes propositiones veræ sunt; & ita bonus syllogismus est ratione materiæ, sed non formæ Nam ex puris negativis vi formæ nil colligitur.

Form. & mat. simul & formam & materiam bonam habet.

10. Alius demonstrativus, alius Topicus, alius Sophisticus. *De his agit pars Logicæ propria.*

Caput IX.

De Terminis & Propositionibus, item de figuris & modis.

TErminus est in qvem resolvitur propositio, ut in subjectum & prædicatum.

Termini (*aliàs extrema, extremitates &c.*) sunt tres: Major, minor, & medius.

Major est qvi prædicatur in qvæstione proposita, seu syllogismi conclusione. Minor qvi subjicitur ibidem. Medius qvi semel minori, semel majori extremo con-

conjungitur ante conclusionem qvam non ingreditur.

Medius terminus aliàs dicitur Argumentũ, nempe inventũ ad fidẽ faciendam.

Propositio est in qvam resolvitur syllogismus ut in partes propinqvas. Estqve triplex: Major, Minor & Conclusio. Major aliàs dicitur Propositio simpliciter, *item propositio prima*. Minor *dicitur propositio secunda adsumtum*, adsumtio, *subsumptio*, *&c*. Conclusio *aliàs dicitur complexio, clausula*, qvæstio, &c. Est autem Qvæstio, Oratio in dubitationem adducta, qvæ sive affirmetur, sive negetur, fit syllogismi conclusio.

Figura est legitima dispositio trium terminorum ad aliqvid concludendum. Suntqve tres figuræ. Prima, cum medius terminus in majore subjicitur, in minore prædicatur. Secunda, cum medium bis prædicatur, Tertia, cum argumentum bis subjicitur, primo in majore, deinde in minore. Qvarta figura Galeni rejicitur, in qva medium est prædicatum in majore, & subjectum in minore.

Ut: Omnis homo est animal
Omne animal est substantia
Ergo qvadam substantia est homo.

Hac terminorum dispositio inutilis est, & contra naturam concludit: qvia in conclusione inferius de superiore inverso ordine prædicatur. Deberet autem hæc esse conclusio. Omnis homo est substantia.

Modus est legitima dispositio propositionum & conclusionis in qvantitate & qvalitate. Estq; directus vel indirectus. Directus est ubi major terminus de minori concluditur. Indirectus è cont. Ut in prima figura faciunt 5. modos indirectos. Baralipton, Celantes, Davitis, Fapesmo, Frisesmo, *ut in*

Ba *Omne animal est substantia*
ra *Omnis homo est animal*
lip *Ergo qvadam substantia est homo*

Sed modi indirecti cũ 4 figura rejiciũtur.

Directi & utiles modi sunt 14.

Qvatuor Primæ figuræ: Barbara, celarent, Darii, Ferio.

5. Secundæ figuræ: Cæsare, Camestres, Festino, Baroco.

6. Ter-

6. Tertiæ figuræ, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Exemp. in Barbara, modo primæ figuræ.

Bar *Omne* animal *est substantia*

ba *Omnis homo est* animal

ra *Ergo omnis homo est substantia.*

Exemp. in Cesare, modo secundæ fig.

Ce *Nullum salubre est* aqvatile

sa *Omnis piscis est* aqvatilis,

re *Ergo nullus piscis est salubris.*

Exemp. in Darapti, modo tertiæ fig.

Omnis homo *est animal.*

Omnis homo *est substantia.*

Ergo qvædam substantia est animal.

Sic in aliis exemplis juventus se exerceat.

CAPUT X.

De Fundamentis exemplis Syllogismi & Regulis.

INnititur *syllogismorum certitudo fundamentis:* Dici de omni, dici de nullo, *qvæ actu & majore Evidentia insunt primæ figuræ, ideo dicuntur,*

Fun-

Fundamenta primæ figuræ.

Dici de omni; est cùm qvidqvid affirmatur universaliter de subjecto, affirmatur de qvovis contento sub illo. *Ut: Omnes homines sunt mortales. Ergo & reges. Qvia rex est homo & continetur sub homine.*

Dici de nullo, est cum qvidqvid negatur universaliter de subjecto, negatur de qvovis contento sub illo. *Ut: Nulli homines sunt immortales. Ergo nec reges. Item: Nullum animal est lapis. At homo est animal. Ergo homo non est lapis.*

Fundamentum secundæ figuræ.

Qvando aliqvod prædicatum de uno subjecto universaliter affirmatur, de altero univers. negatur, tunc & illa subjecta de se invicem negari debent. *Ut: Omne animal est sensibile, Nullus lapis est sensibilis, Ergò nullus lapis est animal. Prædicatum sensibile, universim affirmatur de animali, negatur de lapide; Qvare in conclusione duo hæc subjecta lapis & animal de se invicem negantur.*

Funda-

Fundamentum tertiæ figuræ.

Qvæcunqve sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Et qvæ non sunt eadem uni tertio, non sunt eadem inter se. ut:

Qvidam Medicus est pius.
Omnis Medicus est Physicus.
Ergo qvidam Physicus est pius.

Pietas & ars Physica sunt eadem inter se, hoc est, de se prædicantur (sed in concreto) qvia in uno tertio cōveniunt sive concurrunt, nempe in Medico.

Regulæ Generales in omnibus figuris 4.

1. Ex puris negativis vi formæ nihil seqvitur.

2. Ex puris particularibus nil seqvitur.

3. Conclusio semper seqvi debet partem debiliorem, *hoc est, si altera præmissarum est negativa; conclusio esse debet & negativa; si altera præmissarum particularis, conclusio qvoq; talis.*

4. Non sint plures termini in conclusione, qvam fuere in præmissis.

Ad

Addantur qvæ supra dicta sunt; non plures esse debere terminos qvam tres, & medium terminum nunqvam debere poni in conclusione, &c.

Regulæ speciales primæ figuræ, 2.

1. Ex majori particulari nihil seqvitur.
2. Ex minore negativa nil concluditur.

Regulæ secundæ figuræ 2.

1. Ex majori particulari nihil infertur.
2. Nec ex puris adfirmativis.

Regulæ tertiæ figuræ, 2.

1. Ex minore negativa vitiosè concluditur.
2. Conclusio semper esse debet particularis.

CAPUT XI.

De reductione Syllogismorum.

REducuntur Syllogismi *secundæ & tertiæ figuræ tanqvam* imperfectiores, *ut supra dictum, ad primam figuram, & ve* ostensivè *vel* ad absurdum & impossibile *& utraq; reductione reducuntur omnes mod secundæ & tertiæ figuræ ad primam præte*

Baroc

Baroco & Bocardo, qvi tantùm ad absurdum reducuntur.

Reductio ostensiva fit per propositionum conversionem vel transpositionem, manente eâdem conclusione, vel ejus conversa.

Nomnda autem præter vocales A, E, I, O, supra explicatas consonantes etiam modorum. I. Initiales B, C, D, E, monstrant ad qvem modum primæ figuræ qvivis alius sit reducendus. Ut Cesare, & Camestres, qvia incipiunt à C, reducendi sunt ad Celarent, Festino ad Ferio, &c. II. Media & Finales S, P, M, C, qvarum S. notat conversionem simplicem, P, per accidens convertendam propositionem; M, Metathesin seu transpositionem propositionum: C, ad absurdum vel impossibile. Unde illud:

S, vult simpliciter verti: P, verò per acci:
M vult transponi: C, per impossibile duci.

E.g. Reducatur hic syllogismus secũdæ figuræ.

Cam *Omnis homo est animal.*
es *Nullus lapis est animal.*
tres *E. Nullus lapis est homo.*

Reducitur ad Celarent, qvia uterq; modus incipit

incipit à C. Sed major est transponenda in locum minoris, quia adest litera M. in syllaba Cam. *Minor est convertenda simpliciter ob adjunctam literam S. Sic & conclusio habet* S *adjunctam & convertenda est & fit in*

Ce *Nullum animal est lapis.*
la *Omnis homo est animal.*
rent *Ergo nullus homo est lapis.*

Hac conclusio est conversa superioris conclusionis; converte ergò ita; Nullus homo est lapis; Ergo nullus lapis est homo; Atq; ita habes quod supra. Ita in aliis exemplis juventus se exerceat.

Reductio per impossibile fit, dum ex contradictoria conclusionis, & altera præmissarum syllogismi imperfecti, colligimus in modo perfecto contradictoriam vel contrariam alterius propositionis ab adversario.

Verùm quanam propositio sumenda, cum conclusionis contradictoria vel contraria, monstrant hi versus:

Prima figura locat majorem in sede minoris,
Celantes contra majoris sede minorem,

Sec-

Servat majorem variatq; secunda minorem.
Tertia majorem variat, servatqve minorem.

Ad qvem verò modum qvivis imperfectus sit reducendus, hoc carmine docetur:

Phabifer axis obit terras, æthramqve qvotannis.

Singulis modis singula respondent Syllaba. Qvinq; priores. Phe, bi, fer, ax, is, *respondent 5. indirectis prima figura, seqventes 4.* od, it, ter, ram. 4 *modis secunda figura: reliqva modis tertia figura respondent. Vocales autem denotant conclusiones modorum perfectorum, ut Phe, denotat Celarent, ad qvem refertur Baralipton, Bi notat Darii, ad qvem Celantes, & ita conseqventer.*

Exemplum. Sit hic syllogismus in Bocardo.

Boc *Qvidam homo non est doctus*
ar *Omnis homo est rationalis*
do *Ergo qvoddam rationale non est doctum.*

Concessis præmissis si adversarius aliqvis neget conclusionem & nolit concedere hanc dispositionem syllogismi, reducatur ita ad absurdum:

surdum: Bocardo est penultimus modus tertiæ figuræ cui respondet syllaba an in versu: Phæbifer, &c. monstrans Syllogismum reducendum ad Barbara. Deinde retinetur minor, nam tertia figura servat minorem. Tandem loco majoris ponitur conclusionis contradictoria, & fit syllogismus.

Bar *Omne rationale est doctum*
ba *Omnis homo est rationalis*
ra *Ergo omnis homo est doctus.*

Hæc conclusio contradicit majori præcedentis Syllogismi; Qvidam homo non est doctus; qvam tamen majorem antea concesserat antagonista. Aut ergo priori syllogismo contentus esse debet, aut hunc, qvo contradictione adeoq; mendacio implicatur, admittere.

CAPUT XII.

De Syllogismis compositis eorumq; Reductione.

SYllogismus compositus est, qvando vel una præmissarum vel ambæ sunt compositæ. Estqve adsumtivus vel transumtivus.

Ac

Adſumtivus eſt ubi major compoſita eſt per relationem (*de qva ſupra*) in majore verò adſumitur terminus, qvi in majore non erat, ut:

Ubi paſtor eſt, ibi & populus.
At paſtor eſt in templo.
Ergo & populus eſt in templo.

Reducitur tranſponendo præmiſſas & convertendo majorem, *& fiet:*

Paſtor eſt in templo
Populus eſt ubi paſtor eſt.
Ergo populus eſt in templo.

Tranſumtivus eſt conditionalis, copulativus, disjunctivus, vel ex his miſtus.

Conditionalis, ſubjunctivus item hypotheticus aliàs dicitur, cujus major propoſitio eſt hypothetica, conſtans conjunctione conditionali.

Ejus Regulæ duæ:

1. Poſito antecedente ponitur conſeqvens; non è contr. *Ut: Si eſt homo, eſt animal: Sed eſt homo; Ergo animal, Non autem valet. Eſt animal. Ergo homo.*

2. Deſtructo conſeqvente, deſtruitur antecedens, non è contr. *Si homo eſt,*

ani-

animal est, sed non est animal; Ergo non est homo. Non valet: *Non est homo, Ergo non est animal.*

Reducitur Transsumtivus ita: Accipe conclusionem hypothetici syllogismi, & eam comple, si qvis terminus omissus est: qvia verò conclusio constat terminis majore & minore restabit medius; qvem junge majori & habebis majorem propositionem, deinde junge minori, & habebis minorem, *ut in hoc exemplo.*

Si columba est volucris, est alata
Sed est volucris
Ergo alata.

Conclusio hæc qvia caret subjecto, ita complenda.

Ergo columba est alata.

Medius terminus qvi in conclusione non adest, est volucris. Cum hoc procede juxta præscriptum, Et fiet:

Omne volucre est alatum
Omnis columba est volucris
Ergo omnis columba est alata.

Plures modos reducendi vide in Enchiridio nostro Logico; uti & alia qva in hoc breviario

viarie omittuntur unqvam ea, qvibus nondum juniorem torqvenda ingenia.

Copulativus, est qvi unam partem ponens tollit alteram; & negativè tantùm concludit.

Ut non & homo est & leo
Sed est homo, Ergo non leo.

At una parte sublata altera non mox ponitur. Ut non & homo est & leo; At non est leo, Ergo homo.

Disjunctivus est qvi ex repugnantibus constat, & ponit unam partem, ut alteram vel reliqvas tollat; vel tollit unam, ut alteram ponat. *Ut: Plantæ aut sunt animatæ aut inanimatæ: Sed sunt animatæ, Ergo non inanimatæ.*

Item tollatur unum vel aliqva ut ponatur alterum: Ut

Pomus vel est herba vel frutex vel arbor,
Sed non est herba, nec frutex: Ergo arbor.

Mixtus est. 1. Ex conditionali & copulativa. *Ut: Si homo est rationalis & bos irrationalis, erit aliqvod animal rationale & aliqvod irrationale:*

Sed verum est antecedens

Ergo

Ergo & consequens. Hoc aliter ita proferunt: Sed verum est primum, Ergo & secundum. Vel: Verum prius, Ergo & posterius. Item: verum est illud: Ergo & hoc.

2. Ex condirionali & disjunctiva: *Ut: Si vacuum datur in natura, erit substantia vel accidens:*

Sed neutrum est:

Ergo vacuum in natura non datur.

Quando vero in minore membra confirmantur, fit DILEMMA, duplici argumento adversarium constringens. *Sic Bias probat non ducendam uxorem: Quia hac vel est formosa & tum erit* κοινή, *vel deformis & tum erit* ποινή. *Sed ratione materiæ nihil probat Bias; quia media datur uxor inter formosam & deformem.*

CAPUT XIII.

De nonnullis Syllogismo affinibus.

AFfinia syllogismo sunt: Enthymema, Inductio, Exemplum & Sorites.

ENTHYMEMA est syllogismus imperfectus,

fectus, in qvo deest vel major vel minor propositio. Ideo constat unica propositione, qvæ dicitur Antecedens, & Conclusione, qvæ consequens. *Ut: Petrus est pallidus, Ergo Petrus ægrotavit.*

Reducitur ad perfectum syllogismum, addendo propositionem omissam, qvæ ita cognoscitur: Si deest in antecedente conclusionis terminus major, deest etiam major propositio; si minor, deest assumtio. *Ut in dato exemplo, deest major terminus; ægrotavit. Addatur ergo major propositio ita: Qvi est pallidus, ægrotavit, Petrus est pallidus, Ergo ægrotavit.*

INDUCTIO est ratio, in qva majus extremum de medio universaliter dicitur per minus extremum, qvod ex singularibus omnibus implicitè vel explicitè constat. *Implicitè: ut qvando omnia particularia recitare molestum est, addimus hanc clausulam; Nec ullum dissimile reperitur exemplum: Ut probaturo omne vinum calefacere; induc per singularia omnia ita: Vinum Hispanicũ, Italicum, Creticũ, Gallicũ, Ungaricum, Rhenanum, &c. calefacit; nec datur*

dissi-

dissimile exemplum. Ergo omne vinum calefacit.

Differt Inductio à Syllogismo: 1. hic procedit ab universali ad particulare; illa contra 2. Medium in inductione non est medium, ut in syllogismo, ideò qvarum rerum non est medium, inductione probantur. Hinc 3. Inductione probantur & declarantur principia. Syllogismi & propositiones immediatæ, sive qvæ medium non habent, cujus idcirco loco sumuntur Individua.

Reducitur verò Inductio ad primam figuram, redigendo omnia singularia in locum medii termini. *Ut: Vinum Hispanicum, Gallicum, &c. calefacit: Omne vinum vel est Hispanicum vel Gallicum, &c. Ergo omne vinum calefacit.*

EXEMPLUM est Inductio imperfecta, in qva particulare, (*in Inductione verò universale*) aliqvod ignotum, ex uno noto simili vel paucis (*in Inductione ex omnibus*) probatur. *Ut probaturus malum esse, si Galli Germanis tamqvam vicinis bellum moverent, probo per simile unum vel plura, ita:*

Bellum

Bellum Danico Svecicum fuit malum,
Ergo & Gallo Germanicum erit malum.

Reducitur ad primam figuram, colligendo terminos tres, & qvartum similem in locum probationis rejiciendo; *hoc modo,*

Omne bellum vicinorum est malum,
Bellum Gallo Germanicum est vicinorum,
E. bellum Gallo Germanicum est malum.

Major probatur per singulare unum vel plura. Nam inter Danos & Svecos vicinos perniciosa bella fuerunt: item inter Anglos & Scotos, inter Hispanos & Gallos, Athenienses & Thebanos, &c. qvod si addi posset: nec datur dissimile exemplum, fieret Inductio perfecta.

SORITES est Syllogismus ex pluribus compositus(*ergo non unus*)in qvo Prædicatum primæ propositionis fit subjectum in secunda, secundæ in tertia, &c. donec in conclusione primum subjectum cum postremo prædicato connectatur. *Ut: Homo est animal, Animal est corpus vivens, corpus vivens est substantia Ergo homo est substantia.*

Fundamentum *Soritis est Regula Antepraedicamentalis.* Prædicatum prædicati est etiam prædicatum subjecti & econtra. Sed reqviruntur in sorite termini necessariò inter se cohærentes; *qvales non sunt in tali sorite. Qvi benè bibit, benè dormit. Qvi benè dormit non peccat; Qvi non peccat est beatus: Ergo qvi bene bibit, est beatus.*

Reducitur Sorites ad Syllogismos plures simplices, qûot nimirum sunt medii termini. *Ut in supra dato exemplo, duo sunt medii termini, Hi ergò duo oriuntur Syllogismi.*

I. *Corpus vivens est substantia,*
Homo est corpus vivens,
Ergo homo est substantia.

Minor probatur.

II. *Animal est corpus vivens,*
Homo est animal,
Ergo homo est corpus vivens.

PARS

PARS PROPRIA.

SPecialis vel propria pars Logica considerat Syllogismum cum certa materia eaq; triplici; Necessaria, Probabili, & Falsa. Hinc triplex Syllogismus materialis: necessarius, apodicticus seu demonstrativus; probabilis, Topicus seu Dialecticus; & Falsus, Elenchticus seu Sophisticus.

CAPUT I.

De Demonstratione seu Syllogismo Apodictico.

DEMONSTRATIO est syllogismus scientificus ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & caussis conclusionis. *Hæ sunt conditiones propositionum Syllogismi demonstrativi. Erunt* 1. primæ & immediatæ, *quia unius effectus non est nisi una caussa proxima. Et loquitur Aristoteles de nobilissimo genere demonstrandi, ubi utraq; propositio est immediata, aliàs sæpè minor mediata esse potest.* Est autẽ propositio immediata, immediatione & pri-

mitate vel subjecti; *ut homo est risibilis: vel* caussæ, *ut rationale est risibile. Nam proxima & immediata caussa risibilitatis est rationalitas: proximum subjectum homo.* 2. priores, *qvia ex caussis*, & notiores, *scilicet naturâ, non nobis. Nam* Notius nobis dicitur qvod sensibus est propinqvius ut effectus, composita, concreta, singularia. Notius naturâ seu simpliciter, est qvod remotius à sensibus est, ut caussæ, simplicia principia, abstracta, universalia. 3. Ex conclusionis caussis, *nempe proximis & immediatis*: qvia scire est rem per caussam cognoscere. *Et hoc est medium Demonstrationis, caussa videlicet proxima, propter qvam accidens est in subjecto.*

Exemplum Demonstrationis vel Syllogismi necessarii.

Omne rationale est risibile,
Omnis homo est rationalis,
Ergo omnis homo est risibilis.

Accidens (risibilitas) demonstratur inesse subjecto (homini) per proximam caussam, (rational) Ideò præmisæ sunt caussæ conclusionis, qvia in majori τὸ rationale, ceu caus-

sa immediata, cum caussato suo nimirum risibilitate, connectitur.

Demonstratio alia est διότι propter qvid seu potissima, alia ὅτι qvod *vel qvia*.

I. Illa nobilissima est qvæ modo definiebatur, continens sub se qvasi tres species. 1. Cum aliqvid demonstratur per caussam immediatam, qvæ est essentia seu forma, à qva illud proprium fluit; *ut in vulgato exemplo supra dato.* 2. Cum medium est caussa externa immediata, *ut in vulgato exemplo Eclipsis.* 3. Cum unum proprium demonstratur per aliud ex rei essentia fluente, à qvo immediatè oritur, *ut: Summe calidum est summe leve & rarum Ignis est summè calidus. Ergo.*

II. Hæc ignobilior est, diciturqve Syllogismus à posteriori seu signo & procedit. 1. per effectum, qvi præstantior, & sæpè utilis, nam caussam ignorantes rem ex effectu venamur. *Ut: Qvæ nutriuntur & crescunt, sunt animata: stirpes nutriuntur & crescunt. Ergo.*

Hic animam stirpibus esse colligimus ob effectum, nempe nutritionem, augmentũ, & c.

 2. per

2. per caussam remotam, *Ut: Piscis non respirat: qvia degit in aqva. Propinqva caussa est, qvia pulmonibus caret.*

Finis simul & effectus Demonstrationis est scientia. Scientia verò est firma & certa cognitio rei necessariæ & æternæ per caussam, ut res illa aliter se habere neqveat.

Materiam constituunt termini & Propositiones, Propositiones, *de qvibus ante dictum*, sunt principia materialia, propinqva; termini, remota. Termini sunt tres, aliis dicta tria præcognita, qvia de iis habentur certæ præcognitiones.

I. Minor est subjectum vel basis demonstrationis, de qvo affectio demonstratur; *& ita dicitur subjectum prædicationis. Alias consideratur subjectum scientificum etiam, ut est totius scientiæ. Et ita est commune vel proprium. Commune dicitur res considerata seu materiale, ut corpus naturale est Physicæ subjectum, verùm saltem commune, nondum proprium & adæqvatum. Proprium dicitur modus considerandi vel formale: ut cum addo qvatenus naturale. Ergò*

Physica

Physicæ subjectum est corpus naturale quatenus naturale. Præcognitio subjecti est duplex. 1. quod sit & esse possit in rerum natura. 2. quid sit, i. e. quid nomen significet. Conditiones subjectialiæ sunt. 1. Ut sit Ens per se & necessarium absq; mentis operatione. 2. Ut habeat proprias affectiones, earumq; caussas. 3. Ut ejus consideratio sit tantū in propria scientia. 4. Ut ad illud omnia in scientia illa referantur. Atq; hactenus primum præcognitum.

II. Major vel quæsitum est affectio seu passio, quæ demonstratur de subjecto per caussam, semper accidens, sed proprium. Ejus *præcognitio unica est: Quid sit, id est, quid nominis, non quid rei. Hoc est, præcognitum esse oportet, quid vocabulum significet.*

III. Medius est principium, vel caussa, ob quam affectio inest subjecto, ideo de eo per eam demonstratur. *Præcognitio principiorum est duplex: 1. Quod sint verè. 2. Quid significent vocabula. Aliæ eorum conditiones sunt. 1. Ut sint prima respectu demonstrandorum. 2. necessaria. 3. Indemonstrabilia, ideoq; de iis non disputādum 1. à priori,*

sed per inductionem notificari possunt. 4. *In propria scientia, sed in alia superiori, aut communissima, ut Metaphysica. Principia porro alia sunt essendi seu rei, alia cognoscendi seu cognitionis. Essendi sunt incomplexa, quia sunt res extra mentem subsistentes, essentiam rei constituentes. Ut in Physicis, materia & forma. Cognoscendi interdum cum prioribus coincidunt, interdum sunt complexa extra mentem non subsistentia, suntq; vel communia vel propria. Illa dicuntur axiomata vel dignitates. Ut : Totum est majus suâ parte. Propria, unius scientiæ sunt. Ita sua habet Geometria, sua alia scientia, axiomata, definitiones, hypotheses & postulata.*

Forma Demonstrationis *dicitur vel communiter vel strictè & cum materia.* Communiter *principia formalia remota* sunt figuræ, *propinqva*, modi. Prima autem figura, ceu perfectissima demonstrationi est aptissima, ejusqve primus modus Barbara. Strictè forma Demonstrationis dicitnr consistere in necessitate immutabili, cujus tres sunt gradus, notæ, condi-ditiones vel leges : κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ &

& καθόλου. De omni, per se, & universale. Qvibus notis propositio Apodictica à Topicâ differt.

De omni (*subjecto*) dicitur, cum prædicatum omni subjecto semper inest. *Ut homo est animal. Dicitur de omni posterioristicum. Prioristicum verò reqvirit signum universale necessariò; nec semper temporis universalitatem: ut cum dico Omnes Episcopi Romani sunt Romæ.*

Per se, includit De omni & insuper reqvirit essentialem nexum partium propositionis. Modi hujus notæ qvatuor: 1. Qvando prædicatum pertinet ad definitionem subjecti. *Ut Genus vel differentia qvalifcunq; & ipsa definitio.* 2. Qvando ad prædicati definitionem ipsum reqviritur subjectum. *Ut proprietates definiuntur per subjecta.* His opponitur unus modus, per accidens, qvando Accidens prædicatur, *ut homo est albus.* 3. Cum prædicatum non de alio aliqvo subjecto dicitur prius, sed ipsum est primum subjectum. *Ut Medicus sanat per se & primo.* Huic opponitur modus per accidens, cùm non de primo sub-

jecto dicitur prædicatum. *Ut Musicus ambulat, hoc per accidens est? per se verò animal ambulat.* 4. Est qvando effectus cum caussa externa & proxima conjungitur. *Ut Eclipsis satis est interpositio Lunæ inter solem & nostrum adspectum.* Huic opponitur modus per Accid. qvando accidentalis caussa cum effectu jungitur: *Ut fodiens agrum invenit thesaurum.*

Universale, καθόλου item καθόλου πρῶτον, includit duos modos priores & addit reciprocationem. *Ut homo est risibilis, Reciprocè jam dici potest: Omne risibile est homo.*

CAPUT II.

De Demonstratione circulari seu reciproca.

REgressus Demonstrativus est, qvando per unam veram demonstrationem regredimur à conclusione demonstrata ad præmissas demonstrandas. *A demonstratione verò, qvia, ad eam qvæ est propter*

pter quid, datur Regressus; ita: Converte majorem simpliciter & conclusionem loco minoris transpone ac vicissim. Ut in hac demonstratione ὅτι.

Omne risibile est rationale
Omnis homo est risibilis
Ergo omnis homo est rationalis.

Digredere ad demonstrationem διότι *probando minorem; ita:*

Omne rationale est risibile
Omnis homo est rationalis
Ergo omnis homo est risibilis.

CAPUT III.

De Collatione demonstrationis & definitionis.

I. Qvædam definitio est principium demonstrationis, & est essentialis; qvam tamqvam indemonstrabilem præsupponit Demonstratio.

II. Qvædam est conclusio Demonstrationis qvæ rem monstrat esse, sed caussam aliunde habet, unde demonstretur. *Ut: Eclipsis Lunæ est privatio luminis Lunæ in*

in plenilunio. Ideò caussæ vel medius terminus addi debet, ut fiat demonstratio.

III. Qvædam utrumqve complectitur ac probat, & qvid sit & cur sit, estqve caussalis, solo terminorum positu ab explicitâ demonstratione differens. *Ut cur in tonitruo fit sonus in nube? Caussam vulgarem reddunt, exstinctionem ignis in nube. Demonstratio est hæc: Qvando exstingvitur ignis in nube, fit sonus in nube. In tonitruo exstingvitur ignis in nube. Ergo.* Eliciatur *jam definitio: Tonitru est sonus in nube ob exstinctum ignem Qvocirca qvi habet demonstrationem affectionis, habet ejusdem definitionem.*

Caput IV.

De Methodo & Ordine.

Methodus est vel cum illatione, vel sine. Illa est Methodus specialiter dicta, vel ipsa Demonstratio, & dividitur in syntheticam & Analyticam; Synthetica est Demonstratio διότι analyt. ὅτι. Hæc dicitur Ordo.

Ordo dicitur habitus instrumentalis,

qvo

qvo disciplinæ partes ita disponere possumus, ut aptissimè & facilimè ea disciplina cognoscatur. Estqve particularis vel universalis. Ille est in parte aliqva disciplinæ, Hoc tota scientia disponitur. Universalis est Syntheticus vel Analyticus.

Syntheticus est instrumentum, qvo contemplatrices disciplinas disponimus, ut progrediamur à primis rei principiis, universalioribus, caussis, simplicibus, partibus; ad principiata effecta, composita, totum; melioris & facilioris cognitionis gratiâ.

Analyticus seu resolutorius, est qvo operatrices disciplinas disponimus, ut à notione finis ad cognitionem principiorum & mediorum ad illum finem ducentium progrediamur, melioris & facilioris cognitionis gratia.

Et hi sunt ordines disciplinas disponendi. Alias alii dari possunt ordines: ut dignitatis, Historicus vel temporis, Rhetoricus, Poeticus definitivus Galeni, arbitrarius docendi & refutandi, &c. qvæ omnia vide in Enchiridio meo Logico.

Regu-

1. Communis pars & generalis præponatur propriæ & speciali. 2 Pars nulla desit, supersit, inutiliter repetatur. 3. Qvod alicubi implicitè positum & alio considerandi modo, alibi evolvi potest explicitè & diversa consideratione *absq; tautologiâ.* 4. Respectu particularium ordo sit interdum arbitrarius. 5. In una scientia agere licet de subjecto, hujus principiis, affectionibus, speciebus, item de contrariis.

Caput V.
De Divisione.

De Divisione, ordine doctrinæ priùs agendum qvàm de Definitione, nam ad definitiones constituendas conducunt divisiones. Et res debet distingvi, antequam definiri.

Divisio est oratio, qva totum in suas partes dividitur. *Divisum dicitur totum qvod dividitur. Membra dividentia seu divisionis sunt partes in qvas finitur Divisio.*

Divisio alia est vocis, alia Rei. Vocis dicitur Distinctio: *ut cancer significat piscem*

&

& morbum. Rei est totius vel integralis, vel essentialis vel universalis.

Divisio totius integralis vel qvanti dicitur Partitio, qvæ totum dividit in partes vel homogeneas seu similares, vel heterogeneas seu dissimilares. Pars similaris est, qvæ habet eandem naturam & nomen cum toto. *Ut : caro, aqva, &c. dividitur in partes similares, nam qvalibet pars carnis est & dicitur car; sic de aqva, lacte, &c.* Pars dissimilaris habet diversam naturam & nomen à toto, *ut sunt partes domus, navis, &c.*

Divisio totius essentialis vel est realis seu Physica, vel rationis seu Metaphysica. Illa fit in partes rediversas, in materiam & formam; *ut homo in animam & corpus.* Hæc in partes ratione tantùm diversas, in genus & differentiam, unde saltem ratione totum componitur. *Ut animal & rationale non reipsa ab homine differunt.*

Divisio totius universalis est 1. Generis in species: ad qvam refertur Divisio totius Analogi, *qvæ propriè non est in species: sed qvasi in species, qvia æqvaliter naturam*

gene-

generis nonparticipant. Ut Ens est increatum vel creatum. 2. Speciei in Individua. 3. Differentiæ in species vel Individua.

Hæ fuerunt qvatuor divisiones totius per se, qvibus totidem per accidens opponuntur.

I. Distinctio totius per accidens, *ut Acutum aliud est tactus, aliud auditus, gustus, &c.*

II. Partitio totius integralis per ac. *Ut Annuli [aureitum smaragdo] pars alia est fulva alia viridis.*

III. Divisio totius essent. per accidens. 1. Physici, *ut hominis alia pars est movens, alia qva movetur.* 2. Metaphysici, *Ut hominis una pars est brutis communis, altera ei propria.*

IV. Divisio tot. univers. per ac. 1. Accidentium in accidentia. *Ut flavum aliud est dulce, aliud amarum, &c.* 2. Accidentium in subjecta. *Ut : bonorum qvadam sunt animi, qvadam corporis.* 3. Subjecti in accidentia. *Ut animalium aliud risibile, aliud irrisibile.*

Regula vel præcepta bonæ Divisionis.

1. Divi-

1. Divisio non sit latior vel angustior. 2. Non sit abundans, sed constet potius membris paucissimis. *Non tamen semper διχοτομίαι observari debent aut possunt; sed sæpe ratione objectorum præstat τειχοτομία.* 3. Fiat per membra proxima, quantum fieri potest. 4. Non nominet unam partem (*nisi necessitas urgeat*) per alterius negationem, *quale est hoc vitium: Animal est homo vel non homo.* 5. Membra dividentia non sint subordinata sed opposita.

Caput VI.

De Definitione.

Definitio est vox vel oratio naturam rei vel significationem vocis declarans. *Dicitur vox; quia aliquando una vox est definitio, ut; Honestum est decens. Definitum est illud quod definitur, & à definitione non nisi ratione differt.*

Definitio alia est nominis, alia rei. Nominalis vocem seu nomen declarat. *Ut: homo dicitur ab humo. Tales ubiq; in Lexicis.* Realis, rei naturam, essentiam seu quiditatem

itatem declarat. Estqve. 1. vel essentialis vel accidentalis.

Essentialis constat vel materia & forma, diciturqve Physica; *Ut: homo constat corpore & anima rationali*: vel genere proximo & differentia specificâ; *Ut: homo est animal rationale.*

Accidentalis seu descriptio non qvidem plane qviditatem declarat, sed tamen conversim de re prædicatur, qvia constat genere & proprio aliqvo accidente. *Ut homo est animal risibile. Tales definitiones in defectu essentialium qværere cogimur.*

II. Alia caussalis tantùm alia simul caussalis & essentialis. Illa constat genere & causâ externa alterutrâ vel utrâqve. *Ut Logica est habitus adveritatem indagandam. Hic alterutra adest nempe finalis.* Illa freqventius essentialis dicitur, cum & ex internis & externis caussis rem declaret.

III. Alia est cum additamento, alia sine. Hæc est essentialis; Illa addit seu includit aliqvid qvod ad essentiam definiti

non

non ſpectat. *Ut cum definitur relatum per correlatum accidens per ſubjectum, &c.*

Præcepta veræ Definitionis in genere.

1. Nihil deſit aut ſuperſit in definitione. 2. Sit univerſalis, *id eſt, Contineat qvæ inſunt omni definito ſemper & neceſſariò.* 3. Explicet rei eſſentiam, & qvidem ex notioribus, *id eſt, non definiat idem per ſeipſum, certum per incertum, oppoſitum per oppoſitum, aut rem per meras negationes.* 4. Abſint æqvivocationes, metaphoræ, prolixitas, omniſqve obſcuritas.

Præcepta definiti.

1. Si Ens reale, univocum, univerſale, unum perſe, compoſitum ex partibus. 2. Sit ſpecies alicui generi ſubjecta 3. Non ponatur in definitione, *ut ſi diceres: Homo eſt animal humanum.*

Præcepta generis.

1. Genus in definitione non omittendum. 2. Ponendum proximum. 3. Et qvod in eadem eſt categoria cum ſpecie. 4. Non ſit tranſcendentale.

Præcepta Differentiæ.

1. Habeat aliam oppoſitam. 2. Non ſit negati-

gativa, nec oppositam negativam habeat. 3. Non insit per accidens. Non adaptetur pluribus.

Caput VII.

De Dialectica & Locis Topicis in Genere.

SYllogismus Dialecticus seu Topicus est, qvi ex probabilibus concludit. *Nota Dialecticam à nonnullis dici totam Logicam.* Sunt autem probabilia qvæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, atqve his vel omnibus vel pluribus vel spectatissimis. *Dicuntur ἔνδοξα quibus opponuntur παράδοξα, vel improbabilia; ut Dimidium esse plus qvam totum.*

Finis vel usus Dialecticæ est. 1. Ad exercitium scholasticum, ut de qvavis re proposita possimus disserere. 2 Ad congressus, Nam cognitâ aliorum sententiâ, possumus eos ex propriis principiis convincere. 3. Ad scientias Philosophicas; *qvia opiniones viam præstruunt ad scientiã.*

4. Ad

4. Ad principiorum probationem, *ut cum indemonstrabilia sint, innotescant.*

Materialia principia propinqva sunt propositiones Dialecticæ; remota termini. Propositio Dialectica dicitur interrogatio probabilis vel omnibus vel plerisqve, &c. Sunt vero propositiones vel qvæstiones Dialecticæ 4. Generis, definitionis, accidentis, proprii. *Speciei non datur qvæstio Dialectica, qvia hæc est de subjecto communi, non de Individuis de qvibus prædicatur species. Differentia generica sub genere comprehenditur. Specifica in definitione includitur.* Termini sunt major minor & medius. Medius *autem terminus* seu *syllogismi topici* argumentum est probabile inventum ad fidem faciendam, Invenitur verò ex certis locis. Locus enim est sedes argumenti.

Loci verò topici sunt qvindecim, *ad qvos omnes alii referri fermè possunt.* Definitio, Notatio, conjuguta, totum & partes, caussa & effectus. Antecedentia & conseqventia, circumstantia, similia, paria, majora, Dissimilia, opposita, repugnan-

gnantia, Autoritas seu testimonium. *Hic ultimus dicitur inartificiosus, reliqvi artificiales. Et ex his alius dicitur intrinsecus; cum argumentum sumitur de rei Substantia; ut definitio, &c. alius extrinsecus, cum ex iis sumitur, qvæ extra rei substantiam sunt, ut similia, majora, &c. alius medius medio se modo habens.*

CAPUT VIII.

De Locis topicis tribus prioribus.

A DEFINITIONE.

LOcus à Definitione dicitur habitudo definitionis ad definitum, ex cujus habitudinis vi argumenta secundùm hunc locum sumuntur. *Exempl. Est animal rationale, Ergò homo.*

Axiomata seu Maximæ hujus Loci.

I. *A parte subjecti.* Qvidqvid convenit definitioni, convenit & definitio. Et qvidqvid non convenit definitioni, nec definito. II. *A parte prædicati.* Cui tribuitur definitio, tribuitur & definitum; cui non illa, neqve hoc III. *A parte utriusqve.*

Si

Si definitio definitioni vonvenit, etiam definitum definito convenit. Si non convenit definitio definitioni, econtra. IV. *In comparatione est hac maxima:* Cui magis competit rei definitio, id magis tale est, *Ut: Utile est, qvod ad finem conducit. Ergo qvod magis ad finem conducet*, magis utile est.

Huc refer locum 1. Definiti. *Cujus pracedentes etiam sunt maxima, mutato nomine.* 2. Differentiarum. *Ut rationale est, Ergo homo.* 3. Descriptionis, *qvi etiam eadem habet pronunciata, mutato nomine.* Et ad hunc refertur Locus proprietatis vel proprii. *Ut Justitia est virtus. Ergo per se laudabilis. Nam hoc est virtutis proprium.* Ejus maxima est: Cui convenit proprium, eidem convenit, id cujus est proprium. *In comparatione sunt ha.* 1. Qvod est melioris rei proprium, id qvoqve melius est. *Ut proprium hominis est melius proprio bruti.* 2. Qvod magis homini est proprium, id eidem rei est melius. *Ut homini melius est ratione uti, qvam sensu.*

A Loco Notationis.

Locus notationis est qvando medius ter-

minus sumitur à nomine. *Sic Adam argumentabatur: Hæc de viro sumta est. Ergo virago vocabitur. Argumenta hinc non ducuntur firma, nisi nomina rebus conveniant.* Maxima. De qvocunqve dicantur aut negentur notationes, de eodem notata dicuntur aut negantur, & econtrà.

Huc refertur locus Transumtionis, qvando nomen ignotum in notius transmutamus. *Ut sapientis nomen notius est qvam Philosophi. Hinc argumentor: Est Philosophus, Ergo sapiens.*

A Conjugatis.

Ex hoc loco affirmativè & negativè argumentamur. Exemp. Justus & bonus est (non est) Ergo habet (non habet) justitiam & bonitatem. Justitia est laudabilis. Ergo & justus. Maximæ *seu Axiomata.*

1. *Absolutè:* Cum qvo cohæret unum conjugatorum, cohærent & reliqva, & qvo cum non cohæret unum, econtra. 2. *In comparatione:* Conjugata se invicem seqvuntur. *Ut: si præstantius est ratiocinari qvam sentire; præstantior erit ratio qvam sensus.*

CAP.

CAPUT IX.

De locis totius & partium, caussæ & effectus.

AD locum totius & partium refertur Locus à genere & specie. *A toto integrali (valet & in essentiali) ita: Est domus. E. habet tectum, parietes & fundamentum.* Maximæ *in toto universali & essentiali.* 1. Posito toto integro ponuntur omnes partes. 2. Sublato toto integrali, aliqua saltem pars tolli potest. 3. Positis omnibus part. (non valet ab unica) integrantibus ponitur totum. 4. Sublata quacunque parte integ. tollitur totum. *A toto universali.* Maximæ. 1. Posito toto universali vel genere, ponitur aliqua pars subjecta. 2. Sublato toto universali, tolluntur omnes partes subjectæ. 3. Posita quacunque parte subjectâ, ponitur totum. 4. Sublatis omnibus partibus subjectis, tollitur totum. 5. *In comparatione.* Plura bona anteponenda sunt paucioribus,

Ab efficiente Maximæ. 1. Caussa potens & effectus in potentia simul sunt aut non sunt. *Ut: est Architectus, Ergo fieri potest domus.* 2. Caussa in actu & effectus in actu simul sunt aut non sunt. 3. Quidquid est caussa caussæ, est etiam caussa caussati. *Intellige usum rectum, nempe ut series caussarum & effectus à se invicem dependeant necessariò & semper.* 4. Efficiens naturâ semper eodem modo agit, nec potest non agere, cæteris paribus, *Ut: Ignis non potest non urere.* Consilio verò agens diversimodè efficit, *ut homo potest loqui vel non loqui, ire vel non, &c.* 5. Positâ caussâ conservante res salva esse potest. 6. Positâ caussâ corrumpente non impeditâ, sequitur corruptio. *Ergo huc referatur locus Generationum & corruptionum.* 7. Si bona vel mala est generatio vel corruptio, res quæ generatur vel corrumpitur bona vel mala est. *In comparatione ita.* 8. Quod per se est caussa boni, præstantius est eo quod per accidens. *Ut: virtus quam fortuna.* 9. Quod per se est caussa mali,

mali, prius est quam quod ex accidente. 10. Præstantior est efficiens, cujus finis est præstantior. *Ut: Medicus quàm sutor.* 11. Id quo melior res comparatur, magis expetendum est & id quo melior res magis impeditur, magis fugiendum.

A Caussa materiali maximæ. 1. Posita materiâ possibile est effectum poni, & econt. *Ut in Norvegiâ sunt multæ silvæ. Ergo in ea multa navigia parari possunt.* 2. Cui datur materia, eidem etiam accidentia ejusdem. 3. *In comparatione*: Quod circa materiam præstantiorum versatur, id præstantius.

A Caussa formali maximæ. 1. Positâ formâ substantiali, ponitur formatum seu effectum. *Ut habet animam rationalem; Ergo est homo.* 2. Sublatâ illâ, tollitur effectus. 3. Tantùm quælibet res potest, quantum ejus forma, vel virtus formam consequens, permittit. 4. *In comparatione*: Cujus forma est præstantior, idipsum est præstantius, *ut homo quàm brutum.*

A Caussa finali maximæ. 1. Cujus caussa

 finalis

finalis bona, ipsum quoque bonum. *Ut sanitas est bona, Ergo & Medicina.* Et cujus finis malus, ipsum quoque malum. 2. Unius rei plures esse possunt fines, sed unus primarius. 3. *In comparatione.* Finis & quod fini propius est, magis appetendum quàm quod ad finem ducit. *Ut: Victoria quam bellum.* Vulgo *ita dicitur*: Propter quod unum quodque est tale, illud magis est tale.

Ab effectis maxime. 1. Posito effecto, necesse est caussam esse vel fuisse. 2. Quorum effectorum efficientia bona sunt, ipsa sunt bona, & quorum mala sunt, ipsa mala. Nam qualis caussa talis effectus. *Sed hoc axioma sæpè restringendum.* 3. Quorum interimentia sunt bona, ipsa sunt mala: & quorum interimentia mala, ipsa sunt bona. 4. *In comparatione.* Quæ difficilius conquisita sunt, cariora sunt. 5. Quorum generatio est magis optanda & corruptio magis fugienda; ea magis expetenda sunt.

CAP.

CAPUT X.

De Loco antecedentium, consequentium, & circumstantium.

EXempl. ab Anteced. Habet vulnus cordis, Ergo brevi morietur. A conseq. Iuvenis est, ergo fuit puer.

Maximæ 1. Posito vel ablato antecedente, ponitur, vel tollitur consequens, & posito vel ablato consequente, antecedens ponitur vel tollitur. 2. *In comparatione.* Cujus consequens est majus bonum, aut minus malum, potiùs eligendum est. Nam inter duo mala eligendum quod melius.

A Circumstantibus Maxima. Quales sunt circumstantiæ, talem verisimile est esse rem quam circumstant. *Exempli gratia, Ex circumstantia loci: Fuit in loco suspecto; Ergo rem suspectam inibi peregit.*

Circumstantia vel sunt præcurrentia; *quæ rem antecedunt; ut potentia, nobilitas*

majorum, educatio, consuetudo, &c. vel sunt Comitantia *rem*, *ut locus, tempus, occasio, socij, &c.* vel subsequentia, *ut, laus, divitiæ, infamia, &c.* Includunt hoc versu.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Caput XI.

De Loco comparatorum.

Comparata *dicta quod ad se invicem comparentur*, sunt similia, paria, majora, minora.

A similibus. Exempl. Ut: Lux non absconditur, sed in aperta ad lucendum ponitur. Ergo & doctrina virtusq́ hominis non occultanda, sed aliis impertiendã. Maximæ. 1. De similibus idem est judicium. Vel similium eadem est ratio. Sed nonnunquam etiam similia non per omnia quadrant. *unde illa,* Omne simile claudicat, *Omne simile currit 4. pedibus, &c.* 2. *In comparatione.* Quod rei bonæ est propinquius vel similius, aut meliori melius, id quoque melius.

A pa-

A paribus vel æqualibus Maximæ. 1. Si detur proportio vera aut falsa, etiam quæ videtur æque probabilis, vera aut falsa erit. *Ut: si Duces non semper contemnuntur, quia interdum vincuntur: neq; Philosophi male audire debent; si nonnunquam falluntur.* 2. *In comparatione:*

Si hoc genus est præstantius illo, id quod optimum est in hoc, præstantius est eo, quod optimum est in illo, & vicissim. *Ut: Si homo est melior equo, dignissimus homo melior erit optimo equo.* 3. Si absolutum prædicatū sequitur absolutum subjectum, incrementum prædicati sequetur incrementum subjecti. *hoc est. Ut simpliciter, sic magis ad magis, & maximum ad maximum sequitur. Intelligendum vero de iis, quæ per se dicuntur. Ut: honestum est bonum, honestius melius, honestissimum optimum.*

A majori argumentamur tantum negativè, fitque triplex comparatio. 1. duorum subjectorum cum uno prædicato. *Ut Angeli non sciunt diem extremi judicii: Ergo nec homines.* 2. Duorum prædicatorum

cum uno subjecto. *Ut: hic non didicit Logicam, E. multò minus Metaphysicam.* 3. 2. subjectorum cum 2. prædicatis. *Ut: Dux non potest expugnare castrum, E. nec miles regionem totam.*

A minori tantum affirmativè. *Ut hic potest gestare 10. pondus. Ergo & 5.* Potest & hîc ut ante, institui triplex comparatio. *Notandum verò considerari hîc, majorem minoremvé probabilitatem seu verisimilitudinem; non rem, præstantiam, quantitatem vel virtutem &c. Aliás in proximo exemplo foret à majori; quia præponuntur 10. at minus verisimile est gestare posse 10. quam 5. itaq; à minori est.*

Maxima. 1. Si id, quod verisimilius videtur, non est verum; neque minus verisimile, verum erit. *Et:* Si minus verisimile est verum, etiam id quod magis verisimile videtur, verum erit.

CAP.

Caput XII.

De *Loco Dissentaneorum*.

HÆc sunt vel Dissimilia, vel opposita, vel repugnantia. *A Dissimilibus maxima*: 1. Si dissimilium sit unum, non est alterum, quia de dissimilibus diversum est judicium. *Ut: Est Candidum. Ergo non atrum.* 2. Dissimilibus dissimilia conveniunt: & quod uni dissimilium convenit, quatenus est tale, non convenit alteri. *Ut probus quà probus est laudandus; Ergo improbus, qua talis, vituperandus.*

Ab oppositis 1. à contrariis *seu adversis, Virtus est, Ergo non vitium.* 2. à relatis. *Præceptor est; Ergo non discipulus.* 3. à privantibus. *Cæcus est, Ergo non videt.* 4. à contradicentibus: *Album est. Ergò non est non album. Axiomata generalia.* 1. De quocunque affirmatur unum oppositorum, de eò negatur alterum: non *verò semper è contra.* 2. Quot modis dicitur unum oppositorum, tot & alterum. *Maxima*

xima de Relatis. Quæ mutuo referuntur, mutuo se ponunt tolluntque, simulque cognoscuntur & ignorantur. *Maxima. De contrar. Immediatis, privat. & contradict.* 1. Ex his si alterum non convenit; alterum conveniat necesse est. 2. Contrariæ contrariorum sunt consequentiæ. 3. Illud non est in subjecto, quo inhærente sequitur duo contraria simul esse. 4. Si contrarium contrario inest, etiam contrarium contrario inerit. *Ut si fortitudo est virtus, ignavia erit vitium.* 4. *In comparatione.* Quæ contrariis sui minus admista sunt: Ea magis sunt talia. *Ut in magis est albũ, quod minus nigredinis habet admistum.*

A repugnantibus seu disparatis argumentamur adfirmativè & negativè. *Ut homo est, E. non bellua, non lignum, non lapis, &c. Item: Non est corpus mistum; non aqua, non ignis, non aër; E. terra. Ubi fieri debet sufficiens enumeratio partium Maxima.* Cui convenit unum ex repugnantibus; non convenit alterum vel reliqua. Huc refertur locus Divisionis, *Ut est animal rationa-*

tionale. Ergo non irrationale. Maxima. Cui unum divisionis membrum tribuitur, ei adimuntur reliqua.

CAPUT XIII.

De Loco autoritatis.

Autoritas vel testimonium est divinum vel humanum. *A testimonio divino. Maxime.* 1. Dato testimonio divino res certa est. 2. Divinum præponendum humano. 3. In articulis fidei & affirmativè & negativè concluditur autoritate divinâ.

Ab autoritate humana. 1. sapientem autoritas non temerè rejicienda. 2. Probata artifici in sua arte est credendum. 3. Antiquum quodque testimonium de re antiqua est certissimum. 4. Humana autoritas juvat tantum affirmationem, non negationem. *Ut affirmative sequitur: Cicero hanc phrasin habet. Ergo est latina. At non valet negative: Cicero hanc non habet phrasin, Ergo non est latina.* 5. In usu verborum est sequenda vulgi consuetudo:

in

in sententio vero de rebus ferendâ, judicium sapientum: Loquentum ut plures, sentiendum ut pauciores 6. *In Comparatione.* Quo quis sapientior est, & in arte peritior, eò magis ei credendum, 7. Credibilius est quod pluribus sapientibus, quâm quod uni alicui, visum est.

CAPUT XIV.

De Syllogismo Sophistico, & Locis sophistarum.

SYllogismus Sophisticus est qui ex iis quæ videntur probabilia, nec sunt, colligit conclusionem (*& peccatur in materia*) aut videtur colligere, nec tamen colligit, (*& peccatur in forma*) syllogismus, *Ergo Sophisticus vel peccat in materia, vel in forma vel in utra; licet Elenchus ratione formæ huc propriè non spectet.*

Finis vel usus est 1. non fallere, sed fallentes devitare & refutare. 2. Ut contraria

traria juxta se posita magis elucescant. Sophista autem hos 5. fines sibi proponit Elenchum, Falsum, Paradoxon, Nugationem, Solœcismum, *hoc est; olim sophistarum scopus erat, in quæstionibus captiosis adversarium eò deducere, ut videretur sibimet vel contradicere, & est* Elenchus, *vel asserere aliquid* falsum, *vel ad minimum ab hominum opinione abhorrens seu* paradoxon, *vel ut cogeretur idem inepte iterare, adeoq; nugari; vel barbarè & vitiosè loqui, seu* solœcismum *committere.*

Materia sunt propositiones & termini. Medius autem terminus sophisticus est, qui apparentur. Quæstionem probat contra ignorantem rerum & verborum significationes. Fruitur verò ex certis titulis, notis vel locis Sophisticis tredecim. In dictione vel verbis sunt. 6. Æquivocatio, Amphibolia, Compositio, Divisio, Accentus, & figura dictionis. Extra dictionem in rebus ipsis (*qui errores fiunt ob res malè perceptas*) sunt 7. Accidentis, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter,

citer, ignoratio Elenchi, petitio principii, fallacia consequentis, à non caussa ut caussa, & fallacia plurium interrogationum.

Elenchus ab homonymia, seu Fallacia Æquivocationis, est quando locus Sophisticus medium terminum æquivocum suppeditat. *Ergo quot æquivocationis species, tot ejus fallaciæ. Ut: Canis est animal, Ergo sidus cæleste est animal. Hic est æquivocatio in voce canis.*

Fallacia Amphiboliæ, est quæ decipit ambiguitate totius orationis (*æquivocatio verò est tantum in una voce*) geminam constructionem aut significationem admittentis. *Ut: Qui arat litus, terram aratro sulcat. Tu cum operam perdis, litus eras: Ergo terram aratro sulcas. Hic est ambiguitas in phrasi, Arare litus.* Huc refer omnia ænigmata, oracula, adagia, allegorias, &c. *Ut: Ajo te Æjacida Romanos vincere posse.*

Fallacia Compositionis & Divisionis, est quando in oratione componuntur distin-

distinguenda, vel separantur cōjungenda. In compositionis ergò fallaciâ fit progressus à benè divisis ad malè conjuncta. *Ut: Qui vivit jam, natus est. Homo quinquagenarius vivit: Ergo jam natus est.* In fallacia Divisionis fit progressus à benè conjuncto ad malè divisum. *Ut: Quinq; sunt 2. & 3. Ergo 5 sunt 2. & sunt 3.*

Fallacia Prosodiæ vel accentus est cum diversitas est in compositione vocis, spiritu, literâ, quantitate, gestu orationis, tono, &c. *Ut si sumatur quies pro: quies: ara, pro hara, equus, pro æquus, pendere pro: pendere adere.*

Figura dictionis decipit. 1. Similitudine dictionum inter se, quæ similiter sonant. *Ut: fons est generis masculini; Ergo & frons.* 2. diversiorum prædicamentorum confusione. *Ut: Quod emisti commedisti, crudam carnem emisti. Ergo crudam carnem commedisti. Major loquitur de substantia; minor de qualitate carnis*

Solvuntur omnes hæ fallaciæ in verbis Distinctione. In homonymia & amphibolia distin-

stingue dictionem vel Orationem in sua significata. Fallaciam compositionis solve per Divisionem, Divisionis per compos. Fallaciam accentus per distinctionem spiritus, quantitatis, &c. Figuram per distinctionem grammaticarum affectionum & prædicamentorum. Sequuntur fallaciæ in rebus.

Fallacia Accidentis est cùm non distinguitur inter per se & per Accidens. Ut: homo est species, homo est risibilis, Ergo risibile est species. Hic risibile prædicatur de homine per se; species verò per accidens, quia est notio secunda. Solvitur distinctione, & adjectione vocum per se & per accidens, prolatione similis exempli.

Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, est cum id quod dicitur secundum quid affirmatur vel negatur simpliciter: Ut: Ovidius est bonus Poeta. Ergo est bonus. Cæsar non est lapis. Ergo non est. Solvitur negatione consequentiæ; item distinctione.

Ignoratio Elenchi est syllog. qui ad redarguendum est propositus, sed non fit secundum idem, ad idem, similiter, & eodem tempore,

uti

uti vera contradictio requirit. Ut: qui visu est præditus videt. Qui dormit, visu est præditus; Ergò qui dormit, videt. Aliud Enunciatum de actu, aliud de potentia sumitur. Solvitur negatione & distinctione.

Petitio principij est cùm quis idem per idem (simpliciter, aut sub aliis vocabulis) incertum ignotumvé per incertius ignotiusvé aut æque incertum & ignotum probat. Ut si probas voluptatem esse summum bonum, quia jucundum. Solvitur negatione antecedentis & consequentiæ, & ostendendo idem per seipsum probari.

Fallacia consequentis; est quando Antecedens vitiosè arguimus ex consequente; in iis quæ non reciprocantur. Ut quando arguitur. 1. A positione unius ad positionem alterius. Ut: Omnis homo est animal, Ergo omne animal est homo. 2. A destructione antecedentis ad destructionem consequentis. Ut: si homo est, animal est; Ergo si homo non est, animal non est. 3. A communiter accidentibus. Ut: Proci sunt comti; Ergo omnes comti sunt proci. 4. Ex insufficienti enumeratione partium.

tium. Ut: hic scit aliquot Syllogismos co
Ergo est bonus Logicus.

Solvitur negatione Consequentia

Fallacia secundùm non caussam ut ca
est quando Conclusio non sequitur, pro
lienam datam rationem vel insuffici
Ut: Hic ducit insomnes noctes. Ergo ni
numinatus. Per vinum potes inebriari
vinum est malum. Solvitur negatione

Fallacia plurium interrogationu
quando plures quæstiones proponuntur
ideoq; sophista sive affirmative sive
respondentem capit. Ut: Desiisti ne fur
affirmes sive neges, caperis. Nam e
quæstio. 1. Futurus est? 2. Desiisti
quis quærat: Sunt ne flumina & mar
Distincte respondendum est. N
solvitur hæc fallacia distinctione.

FINIS.